

ERUDITISSIMI VIRI Guilielmi Rossei opus  
elegans, doctum, festivum, pium, quo pulcherrime  
reteggit, ac refellit insanas Lutheri calumnias:  
quibus invictissimum Angliae Galliaeque regem  
HENRICUM eius nominis octavum, Fidei defensorem,  
haud litteris minus quam regno clarum,  
scurra turpissimus insectatur: excusum denuo  
diligentissime, digestumque in capita, adiunctis  
indicibus opera viri doctissimi Ioannis Carcellii.

1

Londini. Anno dom.  
M. D. XXIII.

Page and line numbers refer to *Responsio ad Lutherum*, volume 5 of *The Complete Works of St. Thomas More* (© Yale UP, 1969). This text edited by Mary Taneyhill, © 2019 CTMS. For a complete concordance, see [http://thomasmorestudies.org/Response\\_to\\_Luther\\_Concordance/framconc.htm](http://thomasmorestudies.org/Response_to_Luther_Concordance/framconc.htm)

IOANNES CARCELLIUS  
CANDIDO LECTORI.  
S. P. D.

2

5 QUUM SUPERIORIBUS HISce diebus ad typographi venissem  
officinam, conveniendi hominis ac colloquendi gratia: habito  
aliquamdiu ultro citroque inter nos sermone, cum aliis de rebus, tum  
de libris et litteris, tandem quaerenti, ecquid novi haberet in manibus,  
ostendit mihi libellum quendam, ab Hispaniis ad se allatum, auctore  
10 Ferdinando Baravello, viro in re theologica perquam eximio. Quo  
libro ad insanos Martini Lutheri furores, quibus adeo impotenter  
impudenterque, immo adeo scurriliter in regem, omnibus summi  
principis ornamentis illustrissimum, fuerat debacchatus, respondit:  
partim adductus pietate, quod Christi cerneret ecclesiam et religionem,  
15 sceleratorum haeticorum factionibus seditionibusque, passim  
labefactari: partim aegre ferens, impurissimum hominem  
praetextu sanctitatis abuti, et Christianae religionis nomine, re vera  
stulta arrogantia ac gloriae aviditate inductum ad maledicendum  
quibuslibet, nullius ordinis habita ratione.  
Hunc igitur libellum cum se in animo habere dixit typographus,  
20 emolumenti sui causa, typis rursus excudere: quod emolumentum  
non exiguum capturum se ex eo sperabat: quando quidem apud nos  
id exemplar haberetur unicum: opusque tale esset, uti non dubitaret  
ab omnibus emptum iri cupide: ego meam quoque in eo  
negotio operam, si quid commodare possem, ii pollicitus: orabam  
25 libri ad unum et alterum diem copiam: id quod ipse non invitus  
concessit mihi, orans insuper, si quid novae commendationis adhibere  
possem, operam sibi commodarem meam, qua liber ex eius officina in  
manus hominum gratior exiret. Postquam ergo bonam eius partem  
diligentius perlegissem, placuissetque: visus sum egomet mihi non abs  
30 re facturus: si, quoniam auctor continuata oratione totum opus  
scripserat: in capita distinguerem, additis titulis cuique, ac indicem  
adiungerem: quo facilius lectori singula occurrerent. Simul ut si

postea plura exemplaria importarentur, quod usu venturum erat  
 verisimile: quando quidem nec uni regioni libros emittunt chalcotypi:  
 et ea etiam res erat huius modi: ut nullius maior expectatio umquam  
 apud omnes gentes esse videretur, propter et negotii magnitudinem,  
 5 et eorum virorum auctoritatem, qui in eo certant: quae enim gravior  
 causa tractari potest, quam in qua dei optimi maximi agitur religio?  
 aut quae honorificentiori patrocinio defendi, atque ea, quam summi  
 principes, propriis depositis studiis, pro contione totius orbis suscipiunt:  
 siquidem, ut alios omnes omnium ordinum homines omittam,  
 10 Henricus octavus rex Angliae, Fidei non immerito defensor appellatus,  
 neutiquam recusavit, pro Christi causa, cum vili et sordido fraterculo  
 certamine committi: cui quum pro salubribus monitis, sanoque  
 consilio, nil nisi scommata scurrilia, insanaque convicia retulisset.  
 Nec rex magnanimus secundo responso impurum circulatorem dignaretur:  
 15 hic vir, quem dico, Baravellus Hispanus natione, ac omni  
 litteraturae genere insigniter doctus, indignatus despiciat nebulonem,  
 impune non solum hominibus, sed etiam divis ipsis insultare?  
 ita eum toti descripsit orbi ac denudavit: ut ex nullo speculo liquidius  
 cerni corporis possit imago, quam ex hoc libello Lutheri detestandus  
 20 animus intellegi. Cuius, ut dixi, si plura importarentur exempla: haec  
 tamen nostra hac ratione commendata, typographo: cui plurimum  
 favebam, redderentur vendibiliora. Quod quia facere non potui, nisi  
 mutatis nonnullis, ac alicubi e nostris adiectis, tu mihi candide lector  
 exorandus es: ut si quid altera parte laboris mei tibi gratificatus sum,  
 25 id quod certe studui: alteri parti veniam des: qui tam audacter  
 alienis scriptis manus admolitus sim. Porro de ipso libro non est, quod  
 a me multa expectes praedicanda: ipse enim de se, qualis sit, subinde  
 praebebit indicium. Illud certe profiteor, si perlegeris, fore: uti te nec  
 operae paeniteat, nec temporis collocati: si modo aut religionis  
 30 affectu, aut eruditionis desiderio movearis, aut ingenii amoenitate,  
 orationis ve festivitate delecteris.

FERDINANDUS BARAVELLUS ANTIQUAE  
NOBILITATIS ORNATISSIMO  
VIRO FRANCISCO  
LUCELLO. S. P. D.

6

5 AUDISTIN UMQUAM VIR EXImie:  
quibus artibus homo clarissimus, et patriae  
splendor, patruus tuus me circumvenerit:  
ut ad hoc opus perscribendum perpellerer? Nam ego profecto quum  
ab omni litium genere natura semper abhorream: ab illo certe genere  
10 abhorreo maxime: sicubi cum eo dimicandum  
sit: qui se ratione victum sentiens,  
totus vertitur in convicia. Verum ex  
Academia dum revertor domum: ex  
itinere divortor in arcem patruī tui: ut cui plus propemodum debebam,  
15 quam toti genti meae: eum prius quam meorum quemquam  
inviserem. Is igitur, quum variis de rebus oriretur sermo: iniecit de  
industria, sed velut obiter, mentionem de Luthero: sciscitans, quid  
de libris eius viri, sentiret Academia nostra. Respondi, id quod res  
erat: initio varie affectos homines, alios novitate captos, alios novis  
20 rebus insensos. Multis visum, quaedam neque male scribere, nec  
prorsus inscite tractare: ceterum quo spiritu moveretur, id demum  
librorum eius auctu tempus ostensurum. Nec ea quicquam coniectura  
fefellit. Nam quum assidue alius super alium prodiret liber, et  
postremus quisque deterrimus: tandem  
25 prodiiit Babylon, vere turris illa Babel:  
quae in caelum erecta est: unde vir  
scelestus aggressus est, caelestia Christi sacramenta divellere. Simul  
igitur ac perlectum est et vulgatum opus illud: nemo tam  
excors inventus est: qui non sentiret, quo spiritu spiraret insanus.  
30 Multi itaque meditabantur iam adversus eius impietates scribere:  
quum ecce, brevi supervenit illustrissimi regis Angliae liber eruditissimus,  
opus profecto tale: ut, quod ad eam  
rem attinebat, scribendi causam cunctis  
eriperet. Sic enim Babylonem illam sceleratarum

arcem haeresum, adortus est, expugnavit, evertit: ut operae  
 pretium nullum facturus videretur: si quis arma rursus, adversus  
 arcem dirutam divulsamque funditus, intenderet. Hic patruus tuus  
 nactus, quod captabat, locum videlicet capiendi me: Ferunt, inquit,  
 5 Lutherum respondisse regi. Respondisse inquam, certe quamquam  
 est impudens, haud committet tamen: ut id conando, reddat manifestius:  
 quam impiam ac stolidam causam foveat: quae nullam  
 defensionis facultatem habeat. At quid si fors accidat, inquit, ut loco  
 defensionis utatur impudentia: et quum nihil dicat, non taceat tamen:  
 10 potero ne abs te impetrare tunc: ut tuo calamo retegas, atque retundas  
 hominis impudentis amentiam? Ego, nihil minus suspicans, quam  
 id umquam usu venturum, polliceor inquam, et perlibenter. Nam in  
 pygmaeum sufficit grus: certe si Lutherus  
 15 fortior esset Hercule: causa reddit imbecillioem  
 mortuo. Tum ille paulisper aversus in fenestram, prolato  
 libello, En, inquit, Ferdinande librum, et iucunde surridens, vide  
 iam, quod pepigisti facile: perficias, inquit, gnaviter. Tum ego, quod  
 tu mihi pactum, inquam, memoras? quasi ratum habeat pactum lex:  
 quod dolus malus elicuit. Sit, inquit, si velis dolus: at malus esse qui  
 20 potest: quo non aliud agitur: quam ut bene facias, et prosis bonis  
 omnibus? Quid multa, rursus recepi me facturum serio? Deductus  
 igitur in cubiculum (nam illa nocte me non est passus abscedere)  
 coepi quam primum Lutheri librum revolvere: ita eram avidus  
 videndi: si quid invenisset ille: quo probabile redderet eorum quicquam  
 25 quam: quae mihi princeps visus ante fuerat, tam aperte, tam potenter  
 et scripturis et ratione convincere. Quum coepi legere, deus bone  
 quod nugarum pelagus, quanta furoris abyssus obtulit sese. Ceterum

de re raro legi quicquam: quod non memoria tenerem, pulchre  
 soluisse principem: nisi quod uno Lutherus loco videbatur aut altero,  
 non prorsus inscite scurrari: cuius rei demirabar mecum, nec ansas  
 ante perpensis me et ab rege prudentissimo simul atque eruditissimo  
 5 tantum relictum locum. Mitto itaque puerum ad patruum  
 tuum: si libellus regis esset apud eum: ut dignaretur impertiri mihi.  
 Librum protinus affert puer: inspicio loca. Sed ibi mirum, quam  
 statim coepit frigere iocus totus: utpote natus non ex verbis principis,  
 sed ex eo, quod Lutherus illa depravate recensuerat: ut fuco facto,  
 10 lectori posset apparere festivus. Igitur postridie iam digrediens, rursus  
 excuso me: nam de re nihil omissum principi, ab Luthero nihil  
 adiectum novi: si secus haberet res, non tam ignavum esse me, ut  
 detrectarem, vel eius hortatu, vel publicae utilitatis causa, tam vincibile  
 certamen suscipere. Nunc vero qui meus pudor est haud facile  
 15 ferre posse: ut qui nihil argumenti, nihil omnino rationis affert: ii ego  
 ad mera iurgia, mera convicia, mera deliramenta respondeam: tamquam,  
 ut est apud Horatium: Cum Sarmento committeretur  
 Messius. Apage, inquit ille, excusationes istas, Ego non respondere  
 tantum te, sed etiam prolixè respondere volo, prolatis utrimque verbis  
 20 utriusque, subiunctis etiam tuis, quibus id, quod ais, nulli non fiat  
 perspicuum: quin et naturam istam tuam nimis pudibundam volo  
 paulisper expugnes: donec ipsa quoque convicia regeras, atque  
 retalias: non tam ut audiat nebulo: quae meritis est: quam ut quae  
 sola delectant plerosque in illo, eadem delectare consuescant contra,  
 25 dum leguntur de illo. Nam si fortasse  
 metuis: ne petulantiae labem tibi res  
 aspergat: si liberius paulo cum isto nebulone  
 litiges: ego longe profecto contra mi Ferdinande sentio. Nam  
 qui nullo modo sibi temperare potuit: quin in episcopos, principes,  
 30 in vicarium Christi, in sanctorum patrum gregem totum, in totam  
 prorsus ecclesiam tam assidue, tam insana convicia fraterculus

furius evomeret: quis tam iniquus erit lector: qui petulantem  
putarit eum, immo qui non probet ac collaudet eum: qui nebulonem  
talem verbis attingat meritis: praesertim  
quum ad eum respondeat librum: qui nihil  
5 aliud habet quam stultissima iurgia: quibus amentissimus scurra  
bacchatur in illustrissimum et corporis et animae decoramentis  
omnibus ornatissimum regem. Quid vis amplius: quum nulla esset  
recusatio: valefaciens ac digrediens promisi me scripturum. Itaque  
scripsi sic, ut vides. At quoniam patruum tuum nobis ademit deus:  
10 et senio confectum corpus auferens, animae virtutes immortalitate  
donavit: nihil mihi facturus videbar in rem commodius: quam si  
quod patruo promississem: nepoti persolverem: praesertim tali,  
qui, ut absque liberis discedenti, succedit in fortunas: sic  
eruditionem eius eximiam et egregias virtutes videri potest, velut  
15 hereditario iure consecutus. Accipies igitur vir clarissime opus hoc,  
et accipies cum schedis omnibus, ne sis nescius quemadmodum,  
quod scripsi quicquam patruo debet imputari tuo: ita si quoquam  
prodeat istud, uni imputandum tibi. Vale vir ornatissime, et  
Baravellum plus quam totum tuum solito favore complectere. Ex  
20 Academia nostra tertio Idus Februar.

GUILIELMUS ROSSEUS IOANNI  
CARCELLIO SUO.  
S. D. P.

14

5 SI TU MI IOANNES BENE vales, bene est: ego quidem valeo. At  
vereor ut satis valiturus fuerim: ni propere me ex urbe proruissem  
rus. Coeperat enim non oriri modo pestis Romae, verum etiam  
graviter invalescere: quum ego vix adhuc bene collocatus ibi, rursum  
trepidus ac sollicitus, huc me cogor subducere, ad lapidem plus minus  
vicesimum, exceptus atque invitatus, ab hospite omnium humanissimo,  
10 et seorsum in Anglorum gentem omnem, in quam paternum  
genus refert animo, quantum vix quisquam credat benigno. Hic dum  
versor, hospes quodam die, en inquit, Rossee librum quendam ex urbe  
recens missum mihi: quem te opinor valde videre velle: ut quo  
Lutherus vestro respondeat regi. Ain vero, inquam, nihil profecto  
15 legerim libentius. Nam principis libellum, iam ante annum legi ac  
relegi Venetiis: qui non uni mihi talis visus est: ut opinionem conceperim,  
numquam tam stolidum fore Lutherum: ut respondendo  
redderet manifestum: quam improbam atque absurdam causam  
tueretur: quae nullum defensionis colorem, qui quidem probabilis  
20 videretur, omnino posset admittere: simul haec dicens, avide  
corripio ac resigno librum ubi legere incipio, proh deus bone, quantum  
furoris barathrum, quantam furiarum voraginem reperio.  
Dispeream, si inter densas ac perpetuas phreneseos Lutheranae  
tenebras, ullum invenire quivi sanioris animi intervallum. Nugatur,  
25 rixatur, scurratur, ac ridet: sed ridet plane sardonium, conscius  
nimirum, non in libello regis invenire se, sed in capitello suo quod  
rideat. Nam interim deprehendi eum, quaedam, in quae salsus videri  
posset, affingere. Hospes igitur, ubi me legentem auscultasset diu, non  
30 sine crebra interim atque aperta significatione stomachi (erat enim  
neque alienus a litteris, et animi cum civiliter honesti tum in primis  
pii) quid tu inquit mi Rossee nebulonem istum blasphemias istas  
patieris inultas ferre? qui non modo regem tuum stultis incessit  
conviciis, sed in Caesarem quoque ac pontificem in principes omnes



germaniae, in bonos atque eruditos viros omnes, in omnes denique  
 divos impius furcifer obscenissimis opprobriis invehitur. Hunc  
 tu scurram talia patieris inulta ferre? Inulta ne inquam quo pacto,  
 qui omnium vicem ulciscitur ipse sese? Nam quae gravior ultio  
 5 possit optari: quam quum eo dementiae sit adactus: ut impie  
 conscientiae furiis agitatus, mentis inops, et ad insaniam dissimulandam  
 impotens, ita sibi vi abreptus sit: ut sua manu per omnes paginas  
 atque omnes propemodum parietes perscribat, insanissimum nebulonem  
 atque impudentissimum scurram esse Lutherum. Nam princeps  
 10 meus, in quem praecipue nebulo scurratur insanus, augustioris est  
 animi et altioris consilii: quam ut dementissimi scurrae deliramentis  
 quicquam moveatur. Neque dubito, si Lutheri liber haberet aliquid  
 quod sit responso dignum: quin rex illustrissimus pro egregia illa  
 eruditione, quae illi ad reliqua regiae maiestatis ornamenta velut  
 15 praecipuum quoddam lumen ac decus accessit, facile sit ita responsurus  
 homini: ut mortales omnes intellegant, servata dignitatis suae  
 reverentia, et causam piam strenue, et impium nebulonem lepide,  
 ab optimo atque eruditissimo principe esse tractatum. Quam  
 rem Lutherus, quum ex eo libro quem scripsit in eum rex, magno  
 20 bonorum omnium plausu, magno malorum dolore, didicisset: de industria  
 sic adornavit istum libellum suum, ut sperare posset neminem  
 fore mortalium, nedum principem: qui nenas tam insanas esset ulla  
 rescriptione dignaturus. Atque ita ultimus pugnae restaret ipse:  
 nimirum velut victor ac triumphator esse videretur. At ego, inquit  
 25 hospes, illum sua spe falsum velim. Quorsum istud inquam? Quid  
 faciet qui rescribet? aliud ne, quam explicabit orbi, Lutherum esse  
 scurram sycophanticum? At istud iamdudum conclamavit ipse. Nam  
 quid aliud adversus Catharinum? Quid aliud adversus doctos alios,  
 adversus scholas publicas? Quid aliud adversus germaniae principes?  
 30 Adversus Caesarem, regem, pontificem? Quid aliud e turre sua  
 babilonica, velut ex altissimo suggestu proclamavit in totum orbem:  
 quam esse sese devotum inferis, invisum superis, humano generi  
 nebulonem noxium, ac denique mortalium omnium petulantissimum,  
 et pestilentissimum scurram? Itaque, mihi mire placet

prudentissimi cardinalis illius, sanissimum consilium: qui pontifici  
 huic vere omnium sanctissimo suasit, uti Leonis decessoris sui  
 sententiam, de supprimendis Lutheri libris, ita moderaretur: ut  
 eorum lectionem librorum, qui sanctitatis et modestiae fuco latenter  
 5 insertas haereses, bonis ac simplicibus viris commendant, ecclesiae  
 penitus interdiceret. Babilonicam vero, et qui sunt eiusdem furfuris:  
 qui nihil habent aliud: quam vere scurrilia iurgia, et bonorum  
 omnium auribus abominandas haereses, prostare passim legique  
 10 permitteret. Neque enim periculi quicquam fore, ne bonus quisquam  
 libello corrumpatur eiusmodi: qui sine ratione rixetur, et numeret  
 magis quam probet improbissima quaeque et orbis christiani  
 consensu damnatissima dogmata. Illud vero proventurum commodi:  
 quod pessimus quisque, quem a legendis haereticorum scriptis, nullum  
 15 potest edictum cohibere, desinet incautis imponere: quibus nunc  
 persuadent callide, quicquid sentiunt bonis odio esse, id vel non  
 scripsisse, vel non ita sensisse Lutherum: sed hominem innocentem,  
 per emulorum invidiam, falsam subire calumniam. Nam quaeso te,  
 quisquis hunc ipsum leget libellum, quo regi respondet nebulo, quum  
 nihil in eo reperiet rationis: quum omnia principis argumenta constare  
 20 videbit: quum istum cernet depravare multa: mentiri multa:  
 dissimulare fortissima: scurriliter tractare omnia: quid illum putas esse  
 sensurum? An adhuc desideraturum esse responsi quicquam: quod  
 verberonis ostendat amentiam, tamquam lucernam accendi postulet:  
 cuius ope conspiciat solem? Accedo inquit mi Rossee tibi, rem non  
 25 egere responso, si quis in utramque partem intendat oculos. Sed  
 quotum quemque futurum putas: qui quum Lutheri librum perlegat,  
 ea sit futurus diligentia: ut inspecto contra libello principis,  
 collatis utrimque verbis ipsis, eruat Lutheri sycophantiam, ac non  
 potius ex alterius opere, de utriusque ferat sententiam: persuasus  
 30 neminem esse tam impudentem scurram: ut (quod isti perpetuum  
 est) adversarii verba de industria depravet. Nam eo minus istud  
 suspicamur: quod ea res et facile possit coargui: et semel deprehensa  
 probum summum atque indelebile dedecus inurat auctori. Proin tu,  
 si me audies, non respondebis modo: verum etiam respondebis

ampliter. Citabisque, et conferes utriusque verba fideliter: deinde  
 reddes oratione tua virtutes Lutheri conspicuas: ut locus nullus non  
 sit illustris, in quo vel errat imprudens, vel studio calumniatur, vel  
 dissimulat stolidè, vel scurratur nebulonice, vel bacchatur scurriliter,  
 5 vel mentitur impudenter, vel rixatur improbe, vel blasphematur impie,  
 vel ridet phrenetice, vel dolore ringitur, vel ira dirumpitur, vel  
 madidus indormit, vel ebrius altum stertit, vel sobrius ac vigil insanit.  
 Nec istud mi Rossee, quicquam est quod metuas ne dum stercora  
 Lutheri scripta, velut Augei stabulum exhauris, et sua in eum stercora  
 10 regeris, tuum simul nomen impures: atque in periculum venias, ne  
 non satis habuisse videaris honestatis et modestiae rationem. Etenim  
 tam immodestum nebulonem, qui nec adversus homines, nec adversus  
 superos temperare sibi potest a scurrilibus conviciis, si quis non  
 15 contra tractet ex merito: sed modice modesteque respondeat: nullus  
 erit mihi crede lector aequus, et pius, cui non ista videbitur et nimis  
 ambitiosa, et prorsus immodesta modestia. Nam istud scio te  
 floccifacere: si calamum nebulo convertat in te. Sane vero  
 inquam, neque enim adeo desipio: ut magis mihi censeam laudi fore,  
 20 si lauder a laudato viro, quam si in me bacchetur illaudatus, atque  
 eodem rictu latret, in me: quo rabidus latrat in superos. Quin tu ergo  
 inquit, rem deo fretus aggredere: facies quod malos urat, oblectet  
 bonos: nec officium tantum declarabis in tuum principem: cuius  
 ingenium, eloquentiam, eruditionem, prudentiam, corporis incomparandas  
 25 dotes, animi virtutes excelsas Christianus orbis velut  
 absolutum regiae sublimitatis exemplar admiratur ac suspicit. Verum  
 etiam apud servatorem Christum, magnam inibi gratiam: cuius iste  
 scurra nomen, fidemque sub assertionis hypocrisi, penitus molitur  
 extinguere. Quid vis amplius, mi Ioannes? non desiit impellere, donec  
 30 perpulit. Itaque promisi me facturum: feci, ostendi. Supra meritum  
 modumque laudavit. Oravit me, ut uni atque alteri ex eruditis amicis  
 suis: sibi liceret ostendere. Concessi, modo ne sine permissu meo

quisquam properaret edere. Nam decrevisse me, rem servare mihi  
 menses aliquot integram: quum ut exactius tractarem quaedam, quod  
 opus ruri subito sine librorum auxilio confeceram: tum quod interea  
 supervenerat exemplum epistolae: quam rex ad Saxoniae duces  
 5 scripserat: ex qua subvereri cepi, ut laturus esset princeps: si quis ex  
 Anglis amplius, cum isto nebulone contenderet. Rem recepit meae  
 futuram potestatis. Aufert, ostendit, reddit, hortatur ne cuncter edere.  
 Viros, quibus ostendisset eruditissimos instetisse vehementer apud se  
 ut me vel ignaro, vel invito maturaretur editio. Sed fidem suam  
 10 liberasse se: ceterum suadere, monere, rogare ne doctorum virorum  
 vota suspenderem: neve nebulonem paterer diutius simplicium  
 hominum ignoratione atque inscitia abuti. Si qui forte forent quibus  
 quae absurde scripsit, aliquid esse viderentur: ego me pollicitus istud  
 curaturum, statui protinus librum ad te mittere: ut cuius consilium  
 15 multis in rebus aliis, mihi sensissem utile, eius prudentia in hoc etiam  
 opere, vel edendo vel premedo fruerer. Itaque librum Hermano  
 Pragensi tradidi iuveni olim studioso tui quum istic inserviret  
 magistro. Nam is, quod Angliam viderat, non sterilem fuisse praeceptori  
 suo: quum nec honestum videretur nec utile, subinde solum  
 20 vertere, certus atque offirmans animo istic sedem figere, instituit in  
 Britanniam remigrare. Aliquot ergo menses ab eius discessu, pende-  
 bam animi: expectans indies de mea re responsum tuum. At ubi ex  
 litteris, quas .x. Calendas Iunias, huc misisti, librum sensi non esse  
 perlatum, nec istuc delatum gerulum: metuens aliquid accidisse  
 25 iuveni (nam de fide eius ne adhuc quidem dubito) parabam rursus  
 exemplar: quod, ubi primum liceret commode, istuc mitteretur ad  
 te: quum ecce interim affertur huc, prostare iam librum meum: et  
 (quod miror) inventum esse: qui libellum tam illepidum agnorit,  
 atque adornarit pro suo. Quae res eo fortasse facta est confidentius:  
 30 quod ego, quoniam ad te mittebam, notus ad notum, nomen meum  
 operi non praescripseram. Eoque factum arbitror: ut velut ignorati

patris expositum puerum, homo misericors exceperit atque educarit  
pro suo. Verum nunc te quaeso mi Ioannes: effice ut puer  
cognoscatur istic, non pater: quoad interim diligenter observaris,  
quam de se spem parenti praebeat. Nam si aut parum probetur bonis,  
5 aut princeps aequo animo non ferat, ab Anglia quemquam amplius,  
cum isto scurra committi: sine fruatur qui sustulit. Sin ita ut optamus  
doctis probisque placeat, et regem olfacias non indignaturum: a nobis  
quoque bene verberatum verberonem: tum te mi Ioannes obsecro:  
ut gnatum meum non expositum umquam, sed nescio qua fortuna in  
10 aliquod ignotum littus eiectum, tu mihi denuo, absque ulla eius, qui  
velut orbem exceperit contumelia, vindices ac restituas patri. Vale ex  
urbe, nam heri, huc rerum mearum ordinandarum causa remigravi.  
Iterum Vale et salve. III. Nonas Augusti.

5 AD IIII. IDUS SEPTEMBREIS, redditae sunt nobis a te litterae: quas  
ego et libentissimus accepi: et diligenter etiam atque etiam perlegi.  
Quae quidem tuae litterae, numquam non gratae ad me perveniunt.  
Verum hoc tempore, quantum mearum rerum status ferebat, etiam  
iucundae fuerunt. Tum quia significarent ea, quibus mihi nihil  
10 optatius potuit accidere: id est, te mortalium omnium mihi carissimum  
salvum esse et incolumem, tametsi non nullo metu perturbatum,  
grassantis istic et ardescentis passim morbi pestilentis: atque iam in  
Italia quoque reperisse, qui istas tuas virtutes perspiciant, et admirentur,  
ac merito favore prosequantur. Tum quia longo desiderio  
15 cognoscendi quid rerum gereres ipse, quo ante torquebar, iam veluti  
diuturna siti, expleto, his perlectis litteris paulum animo acquievi.  
Male enim timueram, nequid aliter ac vellem tibi contigisset:  
propterea quod abs te tot mensium spacio, nihil quicquam acceperam.  
Siquidem annus paulo minus agitur, ex quo tempore, illam  
recepi abs te epistolam: qua me tui Romam itineris certiore fecisti.  
20 Atque ab illo tempore, nunc primum ubi sis, quid agas, ac quid valeas  
audio. Quae res, sane tam mihi molesta fuit quam pro mutua nostra  
caritate esse debuit. Eoque magis eram sollicitus de te, quod  
neque ab istis publicis internunciis, aliquid discere licebat: quum  
tamen alias nostrates propemodum omnes, narrare mihi possent: quo  
25 quisque loco ageret. Quin, neque Hermanus cui te scribis litteras et  
librum ad me dedisse, huc venit, nec quid de eo sit factum audivi  
umquam, post eius a nobis discessum, qui fuit statim ab obitu  
praeceptoris sui: cum tamen saepe de illo quaesierim ex iis, qui cum eo  
una ministrabant (adest enim hic unus et alter Londini). Etenim  
30 amabam prorsus iuvenem, ob egregios mores, eruditionem non  
spernendam, ac vel in primis, ob singularem et spectatam fidem.  
Propter quam praeceptoris fuit carissimus. Inveneramque ii  
(si aut remansisset hic, aut redisset) conditionem aliquam, non  
paenitentiam. Vereorque iam, ne quid gravius fuerit in causa,  
35 cur fidem non praestiterit, quam quod nollet, iuvenis quantivis

pretii. Ceterum tandem perlatus est liber tuus (utinam prius) qui magno stupore ut vere dicam, animum verberavit meum: quod iam alienum nomen omnium opinionibus, quotquot opus viderant, nedum meae insederat. Qui, etiam cum schedas tuas in manibus  
5 tenerem, vix demum potui Rosseum meum in illis agnoscere. Ac quemadmodum, qui ingenti aliqua rei, seu bonae seu malae, ac inopina novitate, repente sunt percussi, diu pendent in dubio: nec cito possunt animis suis persuadere, id quod aut aegrius est, quam ut verum velint, aut iucundius, quam ut sperare possint: ita huius  
10 pulcherrimi facti nomen, tam praeter expectationem meam, tam subito in novum haeredem transcriptum, idque in eum quem ut maxime optabam, tam praeclari facti auctorem existere, cum patriae communiter, tum privatim nostrae amicitiae causa, ita minime expectabam: magnae mihi admirationi, ac paene res incredibilis  
15 est visa: non quin te longe etiam maioribus parem, adeoque superiorem et ego norim et alii existimarint: sed ut dixi, quod alter tam astute in hanc se possessionem, veluti derelictam, insinuarat: ut iure optimo eius esse videretur. Iam quod ad ipsum spectat opus, tale profecto est omnium doctorum atque proborum sententia, quibus  
20 ostendi compluribus, ut summo omnium studio sit apud nos excusum denuo. Mihi vero ita perplacuit (si quid meo tribuis iudicio) ut, quoniam erat continua oratione conscriptum, in capita dividerim: titulis adiunctis cuique, scholiaque in spacio marginali ascripserim, indicemque apposuerim: quo facilius singula lecturis occurrerent.  
25 Proinde, ista te libero cura, quae sit doctorum de eo sententia futura. Quippe qui non minus sedulo me ad eius emissionem sunt hortati hic, quam, ex tuis litteris intellego, te istic incitatum. Non nulli etiam ultro pollicentes pecunias in sumptum eius, quoniam typographi gravatim quicquam aggrediuntur, nisi si quis eos volet indemnes praestare.  
30 Porro de rege, nihil est, quod vereamur: qui ut est eruditione singulari, limatissimoque iudicio: ita non dubito, quin idem sit de libro tuo sensurus, quod ceteri praestantes eruditione viri. Quamquam, cum primum huc allatus esset, Lutheri adversus se libellus, eique commonstratus, nihil ille quidem aliud quam irrisit, stulta verberonis ac  
35 scurrilia convicia. Cumque rogaretur, quid de illo non solum impio,

sed etiam, tum furente sentiret: respondit sibi quidem videri  
dignum Lutherum: qui pro petulantia ac nequitia sua, pretium  
ferret: quique in omnibus conviviis produceretur: ut convivas  
oblectaret morio. De respondendo autem ad eius meretricia iurgia, se  
5 nec ita foedaturum personam suam: ut conviciis cum eo velitaret:  
nec ita ineptiis operam et oleum perditurum: ut cum eo rationibus  
modeste ageret: qui omni rationi et modestiae bellum indixisset. Sed  
nec cuiquam auctorem fore, ut cum ipso manum amplius consereret:  
si quis tamen vellet eius insaniam retaliare, infrenique linguae  
10 frenum inicere, non prohibiturum se. Itaque curavi librum tuo  
nomine edendum, et compositorum suo tamquam post liminio asserendum.  
Tum exemplari eo, quod abs te accepi, diligenter cum alteris  
collato, ubi quid aut mutatum aut insuper additum per te comperimus  
quod in exemplis nostris non habebatur adiciendum curavimus.  
15 Iam quae ipse, in eo elaboraveram de iis nihil mutavi: ne aut typographo  
aut mihi tantae perirent impense. Nec mutabo post hac, si  
tibi meum hoc factum probatum fuerit. Sin aliter tibi videbitur: ego  
quicquid tu statueris confirmabo. Praeterea quam ad me epistolam  
dedisti: quaque, mihi librum donas (qui tuus est amor erga me)  
20 praefationis vice anteposui: eique nostram hanc adiunxi: ut posterum  
quoque intellegant: quantum tibi debeam. Vale: et communes istis  
familiares nostros ex me saluta. Iterum bene vale. Londini. XV. Cal.  
Octobris.



PRAEFATIO LUTHERI, SCRIPTA AD  
 quendam nobilem Bohemum: qua suam ipse  
 invidiam ac livorem, tum in Pontificem, tum in  
 ipsum Caesarem, ac Germaniae principes  
 5 viros universos, prodit: quos omnes  
 improbissimis conviciis et  
 contumeliis improbus  
 incessit.

GENEROSO ET NOBILI VIRO DOMINO  
 10 Sebastiano Schlik comiti in Passun Domino  
 in Elbogen et .c. suo in Christo maiori  
 Martinus Luther Ecclesiastes  
 VVittembergensis.

GRATIA ET PAX IN CHRISTO. TERTius et amplius annus agitur  
 15 (generose comes) quod furiosus, papistarum populus me insimulat  
 fugae ad Bohemiam, idque mirum in modum sitit audire, scilicet  
 homines belli, hac sola fama triumphaturi, gloriaturi, et clamaturi:  
 Vicimus, haereticus fugit ad haereticos.  
 Sic enim vecors illa et indoctissima papistici  
 20 corporis belua, postquam videt sese eruditione et veritate victam,  
 nec posse stare totam colluviem suorum asinorum adversus unum  
 Lutherum, torquetur et uritur, unicum hoc respiraculum suspirans, ut  
 fugiam in Bohemiam, ut saltem opprobrio alieni nominis sese solentur,  
 et terribiles Emim sese fingant, qui prae sua inscitia et mala conscientia,  
 25 nullubi audent comparere. Apparui ego iam tertio, coram  
 eis, denique VVormatiam ingressus sum,  
 etiam quum scirem mihi violatam esse  
 a Caesare fidem publicam (Nam didicerunt  
 principes Germaniae, olim de fide  
 30 laudatissimae gentis, nunc, in obsequium  
 idoli Romani, nihil magis quam fidem contemnere, in perpetuam  
 nationis ignominiam) Sic ausus est fugitivus et meticulosus Lutherus  
 in gyrum dentium Behemoth insilire. At illi tremendi Gigantes quid?

Toto hoc triennio, non est inventus unus, qui ad nos VVitembergam concederet, et coram nobis etiam staret, cum et certissimi sint de fide et tutela (nempe sub Caesaris sui praesidio acturi omnia) adhuc audent homines effeminati et excordes sperare triumphum mea  
5 fuga, foedissimam suam ignominiam honestaturi, qua toto orbe celebrantur, sese prae ruditate et pavore animi, non audere in conspectum unius Lutheri prodire. Quid putas hae fragiles bullae facerent, si et ipsi cogerentur coram adversario Caesare et hostibus praevalentibus sistere? Scilicet, in mille diverticula fugerent miseri,  
10 qui nunc in cuniculis suis sicut sorices mussitant, Lutherus meditatur fugam. Sic et rex Angliae, hoc libro multa saliva blaterat de fuga mea in Bohemiam, homo sapiens scilicet qui credit ideo, suum librum esse victoriosum et digne scriptum, si ad Bohemos Lutherus fugerit, tam vecors et muliebris est stolidi regis invidia. Ego vero, quamvis  
15 ardeat animus videre Bohemiam, et religionem papisticis monstris tam odiosam, tamen hactenus abstinui et abstinebo, non quod opprobrium nominis metuum, quod celeberrimae nationi, vilissima hominum fex, papistae cum summa perfidia et iniuria inusserunt. Nam iustissima  
20 causa, Bohemi homicidas istos, et Antichristos papistas deseruerunt, postquam innocentem virum Ioannem Hussum, ipsi septies haeretici exusserunt, et utramque speciem a Christo institutam sacrilege damnaverunt. Hae enim  
25 causae odii papistici in hanc gentem, nec aliquando purpuratae istius meretricis spurii, agnoscunt ferale suum homicidium, et damnati evangelii sacrilegium, quin pergunt furorem suum tueri, et opprobrium, quo ipsi coram deo insignes sunt, alienae et innocenti nationi imponere. Non ergo opprobrium Bohemici nominis metuo,  
30 quae gloria est coram deo, sed quod Christus me hic posuit: ut torqueam papistica monstra, dum nihil invenire in me possunt, quod iactare vellent, in suae incredibilis invidiae respiraculum. Crucitari eos vult Christus sua ipsorum invidia, et dirumpi propria malitia.

Expecto igitur eos hic, et expectabo impotentissimam eorum invidiam,  
egregie irritaturus et torturus donec vixero. Si autem me  
occiderint multo maxime cruciaturus. Sic  
enim datus sum illis in portentum a  
5 domino meo Christo, ut sive me vivificent,  
sive occidant nihil gratiae, nihil pacis, nihil solatii, habitura sit  
furialis eorum conscientia, ut duplici contritione conerantur, et  
praesentis invidiae cruce, aeternam mereantur gehennae torturam.  
Instat enim mors papatus abominabilis, urget eum ineluctabile suum  
10 fatum. et (ut Daniel ait) ad finem sui venit et nemo auxiliabitur ei.  
ita concurrimus utrimque, illi extremo  
furore, ego summo contemptu, et vincet  
audacia mea in Christo novissimam  
15 illorum, et iam pallentem furiam. Aliam vero fugam in Bohemiam  
meditor, ne nihil veri vaticinentur sibi papistici Pythones, sed de qua  
maiolem compunctionis spiritum sint passuri. Haec est, iuxta illud  
Mosi: Provocabo eos in non gente, et in gente stulta irritabo illos.  
Nam tantum meis libellis brevi (propitio Christo) efficiam, ut  
Bohemi a suo opprobrio liberi, soli autem  
20 papistae sint nomen abominationis in orbe  
terrarum, ut maledictum et anathema sit,  
esse papistam. Non quod omnia Bohemorum probem, cum eorum res  
ignorem, et sectas esse inter eos audiam, sed quod papistica turba illis  
comparata, fetor et nausea futura sit in toto mundo, qui nihil nisi  
25 sectae sunt ipsi, adeo ut soli franciscani inter sese fere sex sectis  
scissi sint. Haec autem ad te scribo heros generose, ut mihi initium  
huius fugae captem apud te, qui regnas in Bohemiae initio confinis  
Germaniae, ut per te tuamque dicionem procedam in totam Bohemiam.  
Rex laicus scripsit ad sacerrimum suum pontificem. Ego quondam

miseratione papae clericus scribere  
debui ad christianissimum laicum. Audio  
enim te incredibili studio fervere in  
5 puram Evangelii veritatem, et abominationes et scandala Romanae  
pestilentiae, undique e tuo dominio profligare. Macte virtute  
clarissime heros, sic abolebitur opprobrium Bohemici nominis, et  
redibit meretrici in sinum suum, sentina illa mendaciorum et fornicationum  
suarum, ut revelentur pudenda eius orbi terrarum ad  
10 sempiternam ignominiam. Hoc sit initium fugae meae. haec spes  
optimi exempli, quod imitentur reliqui Bohemi heroes et magistratus.  
Sic non modo in Bohemiam fugero, sed et habitavero in ea, etiam si  
hic me exusserit illaudatae meretricis furor. Invidiam tamen eius  
simul et succendero et vicero in Christo. Nihil erit illi amplius  
15 prosperum. Christus sic statuit, Amen. Gratia domini nostri Iesu  
Christi servet et augeat te optime heros in aeternum. Amen. VVittembergae.  
V. Iulii.

RESPONDETUR AD EPISTOLAM LUTHERI  
INITIO LIBRI SCRIPTAM.  
CAP. PRIMUM.

40

5 TOTA ISTA SPIRAT EPISTOLA, Thrasonicam Lutheri gloriam:  
et, in dignitatem Romanae sedis, lividam nebulonis invidiam. Qua  
nunc intabescens, Bohemis quorum damnatas haereses nuper  
execratus est: nunc execrabilis vicissim, et suo ipsius iudicio damnatus,  
applaudit, et fingit se haereses eorum ignorare, homo aut tam  
10 iniquus, ut eorum res ignoratas ante reprehenderit, aut tam infirmae  
memoriae, ut quae tam nuper tam acerbe redarguit: eorum omnium  
subito iam sit oblitus. Et tamen quum illis maxime conetur adulari:  
post laudes aliquot homo sapiens promittit tandem, bone deus  
honorem qualem, Sodomae scilicet et Gomorrae gloriam. Nam ut  
15 illorum mores iustificati sunt comparatione  
Hierusalem: ita Bohemorum haereses  
iustificabit Lutherus, collata cum illis  
nimirum fide Christi. Quam, quo licentius invadat, atque blasphemet,  
appellat ubique papisticam: substituens pro fide Christi  
perfidiam suam. Nam quum reiciat iudaicam, rideat gentilium, nutet  
20 in Bohemica, vix admittat Turcicam, damnet omnino catholicam:  
quid reliqui fecit tandem: quod esset ratum ac stabile, praeter  
infidelitatem suam? In qua tam superbus exultat, atque insultat  
omnibus: ut dubitari non possit: quam totus ex inferis illius spiritum  
spirat in terras: quem similis ad inferos superbia deiecit e caelo. Sed  
25 illius epistolae pretium operae fuerit magnificas ampullas  
expendere. Protinus ab initio convitiatur  
Caesari et Germaniae principibus: gloriatur  
de sua fortitudine, qui sit ausus ire VVormatiam, gnarus sibi  
violatam esse fidem publicam, videlicet homo animi destinati  
30 martyrio, propter infidelitatem sine caritate, sine qua, nec pro vera  
fide, Paulo teste, valisset martyrium. Insultat magnifice omnibus,  
contra suam sententiam sentientibus: hoc est bonis omnibus: quod

homines non audeant ire VVittembergam, et coram ipsius sese  
 maiestate sistere: videlicet quum certissimi sint de fide et tutela,  
 nempe Caesaris praesidio (ut ait) facturi omnia: quasi nihil esset  
 latronum in via: qui fere soli sunt Lutheri satellitium: qui eodem  
 5 animo in suae factionis gratiam non dubitent, disputaturos amoliri  
 per insidias contra fidem publicam: quo animo spoliant ac trucidant  
 viatores, lucri sui gratia contra legem publicam. Ille quum veniret  
 VVormatiam, non habebat, quod metueret. Venerat enim, quod  
 fatetur, fide publica: quam si, ut mentitur nebulo, violasset Caesar:  
 10 quo tandem praesidio fraterculus, omni supplicio dignissimus, adversante  
 Caesare, prodentibus, ut quaeritur, Germaniae principibus, tot  
 millium iter emensus, in curru, via publica, palam, interdum, sic  
 evasisset incolumis? Nimirum de se scriptum videri vult illud:  
 15 Angelis suis deus mandavit de te: ne forte offendas ad lapidem pedem  
 tuum. Immo mali malo favebant: et boni fidem violare nolebant. At  
 adversus illum venturis, mali dumtaxat et perfidi metuendi sunt: qui  
 nullo fidei vinculo cohibentur a scelere: nullo disposito praesidio, tam  
 longo itinere satis caveri possunt. Quae quum ita sint: mirum  
 20 est profecto, Luthero venire auso nullo suo periculo VVormatiam, in  
 conspectum principum: ut furoris obstinati, triumphum tuto reportaret  
 domum ad compotores suos: neminem audere contra, cum vitae  
 suae periculo, venire VVittembergam, tanto praesertim fructu:  
 nempe ut cum nebulone certet in eius ipsius theatro, dispositis  
 nebulonum cuneis, qui haeresiarchae suo,  
 25 scripturae verba in adulterinum sensum  
 torquenti, doctorum omnium antiquorum  
 auctoritatem irridenti, publicam tot aetatum fidem exhibilanti, atque  
 omnia execranti sacra, ad singulas blasphemias applaudant, atque  
 ingeminent euge. Ii vero, qui disputaturus venerit: ad quodque  
 30 verbum, voce, vultu, pede, manu obstrepant,  
 explodant, exhibent. Contra quae,  
 si durabit omnia: et clamores ratione

vicerit: digressum denique perimant. Neque enim nunc eadem rerum  
 est conditio, atque olim fuit: quum disputabat Eccius. Tum enim re  
 adhuc in eo statu, ut valde suae sectae faverent: nec dum plane  
 scirent: quam malam causam foverent: eo quietius et cupidius audiebant:  
 5 quod se audituros sperabant: quae valde audire cupiebant.  
 Sed ea disputatio quum non undequaque responderit ipsorum spei:  
 quum tamen essent quaedam in speciem non prorsus improba: et  
 nunc eum cernant post per furorem adiecisse talia: quae nullo possit  
 colore defendere: desperata rationis victoria, triumphum collocant in  
 10 amentia: non audituri quicquam aequis auribus, quod adversetur  
 iniquis animis. Neque tamen nego, in eadem urbe, in qua sibi delegit  
 latibulum: multos esse viros honestissimos: multas mulieres bonas ac  
 , pias: sed in re seditiosa, magis eminent insana tumultuantium  
 turba, quam numerus, etiam maior bonorum et sedatorum civium.  
 15 Lutherus igitur quum doleat libellis editis,  
 ita victas ac revictas suas insanas  
 haereses, ut numquam apud suos se victorem  
 audiat, quin interim excarnificetur intus opprobrii sui conscientia,  
 gnarus omnibus undique gentibus, ex libellis utrimque inter  
 20 se collatis, clarissima luce patere, quam turpiter eversus, ac prostratus  
 iaceat: pertaesus tandem ac perhorrescens iudicium publicum,  
 pugnaturus, velut gallus provocat in suum sterquilinum: ubi coram  
 gallinis suis cantitet. Verum neminem  
 opinor esse tam insanum: ut in locum  
 25 veniat: quo eum hostis vocat ad pugnam:  
 quum non possit aequior esse planities, in qua dimicetur, aut minus  
 insidiis exposita, quam libellis editis conflictatio, in qua neutra pars  
 causari potest, aut perperam quicquam exceptum a notariis, aut post  
 corruptum a falsariis, aut sibi quicquam non provisum calore subitariae  
 30 disputationis excidisse. Sed quod, ex causae meritis per otium

quicquid potest, instructissimum protulerit: id sincera fide prodibit  
 in publicum. Ex quibus et nunc clarissime patet: et indies magis  
 magisque patebit: quam sordido ceno prostratus iaceat, oblitus luto,  
 atque obvolutus stercore, gloriosus victor ac triumphator Lutherus.  
 5 Quae res quum regio libello tam egregie facta sit: ut numquam  
 quicquam aequae Lutherum adegerit in furorem: efficiam hoc libello:  
 ut omnes Lutherani sentiant: quam stolidum habeant haeresiarcham:  
 qui sua sapientia nihil effecit aliud: quam infixum ab adversario  
 telum, suis ipse manibus infixit altius. Sed priusquam aggrediar  
 10 librum: libet paulisper cum Luthero rursus redire vvormatiam.  
 Cuius magnifica commemoratione quiddam mihi redegit in memoriam:  
 ex quo uno totus potest orbis iudicare vanissimi nebulonis et ,  
 ingenium stolidum, et mentem gloriae cupiditate dementem.

15 Detegitur Lutheri stulta ambitio ex  
 honorificentissimis de se, sub alieno nomine,  
 praedicationibus. Cap. II.

EXSTAT libellus excusus hoc titulo: Acta et res gestae Domini  
 Martini Lutheri Augustiniani in comitiis principum VVormatiae. Is  
 libellus quo loco sit excusus, non dicit, quo auctore compositus  
 20 tantundem. Sed liquet plane ex ipsa narrationis serie, fuisse aliquem  
 illius valde studiosum. Verum non ab ipso tamen factum Luthero,  
 certissima sunt argumenta scilicet. Nam quum Caesar nominetur  
 ubique simpliciter Carolus: numquam nominatur Lutherus, nisi  
 reverenter DOMINUS MARTINUS litteris maiusculis, videlicet  
 25 magnus heros. Interdum sic: HOMO DEI LUTHERUS. Et quum  
 ii, qui contra loquuntur: prorumpere dicuntur in verba virulenta: de  
 ipso ita scribitur DOMINUS vero MARTINUS pro incredibili  
 humanitate et bonitate sua, benigne respondit.  
 Et sic: Pater clementissimus  
 30 modestissime respondit. Et tamquam gloria patri totum illius psalmi  
 librum claudit haec coronis. Deus igitur hominem pientissimum,



tuendo et docendo evangelio natum, diutissime servet ecclesiae suae,  
 una cum suo verbo, Amen. Quis ita suspicax umquam natus est: ut  
 suspicari possit: qui talia de Luthero scripsit: ipsum fuisse  
 Lutherum? Quis enim Thraso tam gloriosus  
 5 fuit: quem non puderet eiusmodi vel  
 cogitare de semet? At nunc, obsecro, lector vide: quam penitus  
 homini memoriam, ac mentem, inanis gloriae titillatio excusserit.  
 Quum totus liber ita sit tractatus: ut videri possit ab alio quovis esse  
 compositus, subito suo sorex indicio prodit  
 10 se. Oblitus enim sui, quodam in loco sic  
 ait:

His dictis, orator imperii, increpabundo similis, dixit me non ad rem  
 respondisse: nec debere in dubium vocari, quae olim in consiliis  
 15 essent damnata et definita: ideo a me peti simplex, non cornutum  
 responsum, an velim revocare, vel non? Hic ego. Quando ergo  
 Caesaris maiestas etc.

Hic vides lector ex rebus wormatiae gestis, incredibilem illam  
 clementissimi patris modestiam: qui sub  
 20 alieni tubicinis larva, suas ipse laudes tam  
 modeste bucinet. Vides admirandam prudentiam: qui non potuit  
 cavere sibi in tam exiguo libello: ne tam stultum institutum proderet:  
 cuius puderet etiam morionem.

Ea caecitate et amentia percussit dominus  
 25 noster Iesus Christus, universum istud  
 regnum abominationis papisticae: ut iam totum triennium, cum  
 uno Luthero ipsi infiniti vulgi Cyclopes belligerantes, nec dum  
 intellegere possunt, pro qua re mihi cum ipsis bellum sit.

AIT OMNES, qui cognoscunt pontificem: hoc est omnes Italos,  
Hispanos, Gallos, Germanos, et quicquid est usquam populi Christiani:  
5 quos omnes appellat Cyclopa, tam diu belligerantes cum  
uno Luthero, Ulisse videlicet omnium  
prudentissimo, ita perterebratis esse oculis,  
tamquam Polyphemum: ut quamquam  
libris ab illo tam multis editis, adhuc non possint cernere: quorum  
10 ille tendat. O rem difficilem, et quae non exoculatum Cyclopa, sed  
Argum aliquem oculatissimum requirat, ac lynceum: qui Lutheri  
vias vestiget. Esset fortasse res difficilis colubri viam vestigare super  
terram: nisi odore pestilentissimo, quaqua versus serperet, erumpente,  
ac terras lue taeterrima inficiente, ipse se nimium proderet.  
15 Neque enim nunc horum Cyclopa quisquam est adeo caecus: ut  
non artes eius, et astutias deprehenderit: quam inani commento  
fugam paret ex Aetna: ut ex hac Cyclopa, ut vocat, elapsus insula,  
recte tendat ad inferos. Sed unde nullus  
eum reducat Tyresias.

20 Non intellegunt, inquit, frustra tot libellis  
a me editis et palam testantibus, hoc  
solum a me quaeri, ut divinae litterae solae regnent, sicut  
dignum et iustum est, humanae vero inventiones et traditiones e  
medio tollantur, ceu nocentissima scandala, aut exsecto veneno, et  
25 evulso aculeo, id est vi cogendi et imperandi, et conscientias illaqueandi  
erepta, libere et indifferentes tolerantur, ceu quaelibet alia  
pestis aut infelicitas mundi. Nam ipsi perpetua insania perciti, contra  
me nihil movent, nisi statuta hominum, glossas patrum, et facta seu  
ritus seculorum, ea ipsa scilicet, quae nego et impugno, quae et  
30 ipsimet confitentur infida esse. Ego de iure disputo, et ipsi de facto  
mihi respondent. Ego causam quaero, ipsi opus exhibent. Ego  
interrogo, in qua potestate hoc facitis, ipsi dicunt, quia sic facimus, et

sic fecimus. Sit pro ratione voluntas, pro auctoritate, ritus, pro iure,  
 consuetudo, idque in rebus dei. Est apud eos ipsos in scholis suis  
 viciosissimum genus disputandi, quod vocant, petitionem principii.  
 Hoc discunt et docent usque ad canos, usque ad sepulchrum,  
 5 tot sudoribus, tot sumptibus miserrimi homines.

Et de rege paulo post.

Hic vero deus nova sua divinitate mirum in modum insolescens, ac  
 certus quicquid dixerit fieri oportere, aut factum esse, id ex professo  
 etiam testatur, velle sese dimittere capitale fundamentum meum, et  
 10 aliis relinquere expugnandum, ac solum aedificium labefactare, id est,  
 stipula et faeno contra rupem verbi dei pugnare, ut nescias, an ipsa  
 mania sic insanire possit, aut ipsa stoliditas tam stolidita sit, quam est  
 caput hoc Henrici nostri, forte ut verum faciat proverbium, Aut regem  
 aut fatuum nasci oportuit. Quis morio enim sic diceret, Ego asseram  
 15 septem sacramenta, sed intactum relinquam principale robur  
 adversarii? Crederes ab insigni hoste regis, hunc librum editum in  
 regis perpetuam ignominiam.

Proponuntur in summa, quae sunt tractanda  
 in toto opere. Cap. quartum.

20 HAEC IPSA Lutheri verba lector, in quibus tam impense sibi  
 Lutherus placet: efficiam paulo post, quum ad illius responsum, ut  
 ille vocat generale, perveniam: ut facile quivis intellegat, ex regis  
 libello sumptis probationibus, non solum esse falsissima: verum etiam  
 25 vix tot habere verba, quot vitia. Praeterea nebulonem istum, non  
 hominum tantum traditiones omnes tollere, etiam eas quibus deberet  
 obedire: sed etiam tollere traditiones dei. Nec eo tamen contentum,  
 illas ipsas dei scripturas, pro quarum regno se pugnare simulat:  
 quibus potest machinis oppugnare. Quo in loco faciam perspicuum:  
 30 quam insulse rideat eum disputandi morem: ut contra unius auctoritatem  
 scurrae, regia maiestas opponat auctoritatem tot sanctorum  
 patrum, tot seculorum consuetudinem, et publicam fidem

totius ecclesiae. Simul et illud constare faciam, vitiosum illud disputandi  
 genus in petendo principio, quod tanta cum insultatione  
 derivat in alios, solam ipsi atque unicam fere disputandi formam esse.  
 Idque ipsum illi accidere in his ipsis locis maxime, in quibus illud  
 5 maxime obicit atque improperat aliis. Tunc ista verba, quibus extra  
 locum se iactat, ut legentibus offundat tenebras: nos loco ad id idoneo  
 ventilabimus: et paleas istas, quas pro  
 tritico laborat vendere: vento sparsas  
 dissipabimus. Nam quod homo lepidus videlicet ac facetus irridet  
 10 regem: quod asserturus sacramenta testatur ex professo se capitale  
 fundamentum Lutheri aliis expugnandum relinquere, ac solum quod  
 superstruxit aedificium labefactare, tangetur eo loco, in quo solo  
 convenit: ubi Lutherus idem rursus simili semper conditum sale  
 repetit. Nempe ubi tractabitur: quod missa bonum opus, oblatio, aut  
 15 sacrificium Lutheri non potest esse: propterea quod sit (ut ait)  
 testamentum. Ibi videbis lector, hominis tam festive dicacis infacetas  
 facetias, in solum Lutherum ludere. Atque haec quae nunc promitto  
 tibi, ideo distincte posui: ut eorum quodque, suis a me locis possis  
 exigere. Quorum ita me debitorem constituo: ut nisi in hoc libello  
 20 persolvam omnia: nihil omnino videar persolvisse: contentus, ut  
 Lutherus in me decantet illud Horatii: Quid dignum tanto feret hic  
 promissor hiatu.

Respondetur ad id, quod Lutherus fingit se non  
 credere librum regis ab ipso esse rege compositum et  
 25 simul ostenditur, quos et quam praeclaros  
 auctores habeat liber Lutheri. Cap. quintum.

INTEREA paulisper ea illa percurram: quibus obiter obiectis ii, sic  
 homo se sapiens explicat: ut id conando magis ac magis implicet  
 atque involvat. Sed prius mirifice se putavit scilicet irritaturum

regem, si se simularet non credere librum a rege editum, ipsius esse regis: sed Lei videlicet, aut alicuius (ut ille vocat) pituitosi sophistae: quasi quisquam Luthere tam pituitosus esset: cuius pituitam non praeoptet: quisquis non plane furit: quam furiosam bilem tuam.

5 Male torquet nebulonem istum: quod notior est, et non in sola Britannia celebratior, eruditio eximia regiae maiestatis, cum in aliis plerisque disciplinis omnibus, tum praecipue in re theologica: quam ut cuiquam possit persuadere stolidus, alieno libro voluisse venari gloriam regem sapientissimum, ex furioso fraterculo, cum quo magis duxit, opinor, inglorium contendere, quam gloriosum vincere:

10 praesertim in tali re, quae cum per se clara numquam non esset: eam tamen factam sciret adversarii stultitia clariorem. Nec scripsisset, opinor, omnino quicquam adversus talem scurram princeps: nisi pro Christi honore

15 nihil sibi duxisset inhonorem: sed veluti pro Christi nomine pugnam detrectare nollet, adversus infidelium (si fors ita ferret) vilissimum: sic pro Christi fide, calamo certare dignatus est, adversus haeticorum stultissimum. Verum video: quid Lutherus velit: optat id quemque credere de libello regis: quod ipse sibi conscius est: et nemo

20 factum nescit in suo. Nam quis ignorat, illius responsionem non unius cuiusquam labores esse? Quod enim unum caput potuisset unquam tantum stultitiarum parere? Ipsa mediusfidius frenesis assiduo tot neniaram partu fuisset effeta. Sed multae (quod plane compertum est) insanissimorum nebulonum libidines Lutheri fetum

25 hunc informem ac monstruosum genuere. Et sicut in computationem solent, suum quisque symbolum conferre: sic in libellum istum stultitiarum farraginem, communi consilio suum stultorum quisque nugatorum stulte dictum contulit.

NAM QUUM Lutherus regis accepisset librum, atque aliquid eius

30 delibasset: vitiatu gustui coepit salutaris cibus amarescere. Quem quum devorare non potuit: iam potando cupiens amariciem eius eluere, convocavit compotorum suorum senatum. Ibi quamquam opus illud maluisset perpetuis tenebris abditum: tamen quoniam celari non potuit:

quum calicibus epotis bene firmasset animum: gravatim profert  
 librum. Legi ceptus, asininas auriculas coepit mordaci radere vero.  
 Claudunt igitur, ac mox resignant rursus: et iam carptim vertunt: si  
 quid forte reperiant: quod ratione possint carpere. Nihil occurrit  
 5 commodum calumniae. Iam ut in rebus difficilibus exquiruntur  
 sententiae. Nam et maestus esse senatus coepit, et Luthero res ad  
 restem vergere: nisi quidam eum dextre  
 sic esset consolatus Bicias. Quid ipsorum  
 referret: quid scripsisset rex Angliae: aut quid omnino de fide  
 10 sentiendum esset: qui nihil proposuissent sibi, nisi per tumultum facta  
 seditione, ipsi tamquam capita factionis  
 inclarescere? Ut et ex seductis simplicibus  
 pecuniam, et ex irritatis eruditioribus caperent voluptatem.  
 Qua in re quid nocuerit: quam vera scribat rex: aut ipsorum haereses  
 15 quam acute refellat. Rescribat tantum Lutherus: et solita sibi insistat  
 via: strenue convitiatur ac rideat. Quotus enim quisque futurus sit e  
 vulgo simplici, quibus imponere, apud  
 quos regnare fuerit satis: qui rem totam ab  
 initio aut velit repetere: aut repetitam, possit expendere. Proinde ne  
 20 deficiat animo: neu sic desipiat tamen: ut decernat ratione certandum:  
 probra tantum et convicia per omnes paginas, hiberna nive  
 densius, ingerenda: quorum inexhaustus fluvius, Luthero scaturiret e  
 pectore. His armis tutum Lutherum fore, quibus et ferire possit: et  
 referri non possit. Nam generosum regis animum indignaturum, talia  
 25 in sese dici a talibus: honestorum omnium animis indoliturum,  
 tantum impune licere nebulonibus. Si rescribat quisquam graviter et  
 severe: contemnet vulgus: quae res Luthero fuerit satis. Sin instituat  
 quispiam Luthero digna regerere: ridicule fecerit: frigebit enim  
 dictum: quod in illum dicitur: cuius foedior omni crimine persona  
 30 est. Sed nec parem quemquam Luthero fore, qui satis fuerit unus,  
 adversus decem loquacissimas, et iurgiosissimas meretrices. Et tamen

ipsos pro sua quemque virili, non defuturos: atque ita facile victoriam  
 ipsius fore. Isto consilio dato, Lutherus animum revocare coepit: qui  
 iam fere per posticum fugerat. Verum, quoniam supra solitum sibi  
 morem opus vidit esse iurgiis: quandoquidem in disputationem nihil  
 5 habebat aliud: quod prorsus posset afferri: hortatur eos: ut eo quisque  
 properet pergere: ubi stolidorum iurgiorum et scurrilium scommatum,  
 quam plurimam venari materiam quirent: quarum  
 rerum, ut quisque collegisset sarcinam: protinus ad se, conveherent:  
 ex illis enim refarsurum se responsionis suae farraginem. Cum his  
 10 mandatis dimittit consilium. Illi igitur abeunt, alius alio, quo quemque  
 tulit animus: et se per omnia plaustra, vehicula, cymbas, thermas,  
 ganea, tonstrinas, tabernas, lustra, pistrina, latrinas, lupanaria  
 diffundunt: illic observant sedulo, atque in tabellas referunt, quicquid  
 aut auriga sordide, aut servus verniliter, aut portitor improbe,  
 15 aut parasitus scurriliter, aut meretrix petulanter, aut leno turpiter,  
 aut balneator spurce, aut cacator obscene loquutus sit. Atque haec  
 quum aliquot fecissent menses: tum demum quicquid undecumque  
 collegissent, conviciorum, iurgiorum, et scurrilium scommatum,  
 petulantiae, spurcitiae, sordium, luti, ceni, stercorum, omnem hanc  
 20 colluviam in foedissimam cloacam Lutheri pectus infartunt. Quam  
 ille totam, in libellum istum suum conviciatorium, per os illud  
 impurum velut comesam merdam revomit. Inde tibi lector acervus  
 ille spurcissimorum latratuum, quibus solis stultissimus libellus  
 impletur. Nam quum de re conatur aliquid, detrahe tantum ornatissima  
 25 illa scurrilitatis emblemata: statim videbis lector, e tanto  
 verborum cumulo, quam exiguus rerum restet manipulus, et ille  
 tamen ipse corruptus. Quod, ut tibi magis fiat perspicuum: age,  
 excutiamus (ut facturus eram) ea vitia: quae paucis obiter obiecta,  
 multis verbis contendit reicere. Etenim facilius erit conicere, qualem  
 30 se praebeat in oppugnando altero, qui tam belle defendit sese.

Revincit impudentem vanitatem Lutheri: qui falso  
scribit regem nullam eius repugnantiam proferre,  
sed verbo dumtaxat asserere, illum sibi esse  
contrarium. Cap. sextum.

62

5 PRIUSQUAM, inquit, ad rem ipsam  
veniamus, primum diluam duo crimina,  
quae mihi rex Thomisticus, prae impotentia sua muliebri imponit.  
Quorum alterum est, esse videlicet me mihi ipsi contrarium.

10 HOC igitur crimen ut diluat, tamquam magna innocentiae conscientia  
magnifice recenset, editorum ab se librorum catalogum: ne  
quis eorum venenorum nesciat nomina: quibus veneficus, conatus est  
Christianum vulgus inficere. Quos ipsos libros quisquis diligenter  
inspexerit: tam multas tam apertas tam absurdas, inveniet repugnantias:  
15 ut ii nihil aliud hac librorum recensione Lutherus fecisse videatur:  
quam si hominem iugulasset inspectante  
populo, deinde vocatus in iudicium,  
eos ipsos omnes innocentiae suae testes produceret: qui sceleris  
fuerant spectatores. Sed hic opinor, aliqua iubebit a me proferri,  
illarum contrarietatum exempla: et ex illo mari aliquam afferri  
20 lagenam, quasi aut opus sit ostendere: quod nemo non videt: aut non  
olim ii multas ostenderit vir doctissimus  
Ambrosius Catharinus: et ostendantur in  
ipso regis libello nonnullae. Quarum si multas hoc loco (ut possum)  
producerem, Lutherum (quae est hominis verecundia) non puderet  
25 iterum dissimulare productas: et rursus ut producerentur aliqua  
flagitare. Nam cum eius generis multas protulerit vir, ut dixi,  
doctissimus, Ambrosius Catharinus: iam Lutherus in morem simiae,  
per cachinnos ad unum respondet aut alterum: reliqua vero tam  
aperta, ut nec e scurrilium scommatum  
30 divitiis suis invenerit ullum: quod posset  
opponere: per dissimulationem prorsus reliquit intacta: et ad id se  
convertit: in quo solo valet: ut virulentissimis conviciis, et insanissimis



iurgiis, impeteret sedem Romanam: morionum more, qui, cum  
 ab alio percutiantur: protinus percutiunt alium. An non simili  
 dissimulatione utitur: cum nunc ait regem in suo libello, ne unum  
 quidem locum proferre, saltem exempli gratia: quo Lutheri inconstantiam  
 5 convincat?

SOLUM rhetoricatur, inquit, gloriosus  
 rex, hoc modo. Lutherus sibi pugnat:  
 quis ii credat? Sic dixisse satis fuit defensori novo ecclesiae et numini  
 10 recens in Anglia nato. Ceterum ostendisse exemplum non fuit opus,  
 ne daretur Lutheri occasio sese purgandi,  
 et stultum regem pro dignitate thomistica  
 tractandi.

AN NON ista verba nebulonis impudentissimi, quisquis audierit:  
 si neque Lutherum nosset: neque regis librum legisset: protinus  
 15 persuaderet sibi, regem nullam Lutheri contrarietatem usquam  
 protulisse: sed de industria celasse: ut ea posset licentius dicere: quae  
 Lutheri negaretur facultas defendendi? At idem si Lutheri legisset  
 opuscula: is regem nihil peccasse fateretur: si rei nemini non compertae  
 probationem nullam proferret.  
 20 Idem si Lutheri nosset vanitatem: non  
 dubitaret, a rege factum: quicquid Lutherus  
 a rege factum esse negarit. Quod si librum regium etiam legisset:  
 cum ibi tam multa videret eorum: quorum ne unum quidem ibi esse  
 25 scribit Lutherus: quot quantisque modis damnet necesse est, improbissimi  
 nebulonis mendacissimam sycophantiam. Quam rem vel  
 is unus locus abunde probaverit: quem primum in medium  
 proferam. Vel ob id, quod post ista, quae cavillando conatur eludere:  
 in quibus se non dissentire dicit sibi: sed mutare sententiam omnium  
 primus existat.

30 NAM QUUM Lutherus in captivitate babylonica dixisset, omnibus  
 esse praeceptum: ut eucharistiam sub utraque specie reciperent: et  
 non ita multo post, in eadem pagina diceret: neutram omnino  
 speciem cadere sub praecepto: regia maiestas his verbis, quae  
 sequuntur: attingit insignem hominis ita secum pugnantis, amentiam.

“AT VIDE QUAESO, quam vacillet,  
 ac sibi repugnet Lutherus: uno loco dicit,  
 Christum in cena omnibus omnino fidelibus, non permittendo, sed  
 praecipiendo, dixisse: Bibite ex eo omnes. Postea vero, timens ne  
 5 laicos, quibus in sacerdotum odium adulatur: offenderet: haec verba  
 subiungit. Non quod peccent in Christum: qui una specie utuntur:  
 quum non praeceperit ulla uti: sed arbitrio cuiuslibet reliquerit:  
 dicens: Quotiescumque haec feceritis: in mei memoriam facietis. sed  
 quod illi peccant: qui hoc arbitrio volentibus uti, prohibent utramque  
 10 dari. Culpa non est in laicis, sed in sacerdotibus. Videtis aperte, quod  
 primo dixit esse praeceptum: hic dicit non praeceptum esse, sed  
 cuiuslibet arbitrio relictum. Quid opus est ergo, nos illi contradicere:  
 qui sibi toties contradicit ipse?”

Quaeso te per tuas furias, quid habes hic amice Luthere: quod  
 15 dicas? Contendes hic te tibi non esse  
 contrarium: et tam impudens eris aut  
 stolidus: ut idem esse defendas: et utramque  
 speciem omnibus esse praeceptam, et neutram esse praeceptam  
 cuiquam? Quod si aut tu tam impudens esses: ut peteres: aut  
 20 quisquam tam insanus, ut ista petenti concederet: tamen nihilo magis  
 posses, ex vanissimae sycophantiae tuae laqueis effugere. Nam quum  
 scribis, ideo regem nullam contrarietatum tuarum exempli causa  
 proferre: ne tibi purgandi tui, detur occasio: perspicuum est desiderare  
 te, non omnino talem, quae purgari non possit: sed vel talem saltem,  
 25 quam adversarius vocaret repugnantiam: in qua tibi facultas esset  
 eius vitii notam: si qua posses arte purgare. Ecce prolatus est a rege  
 locus unus: qui legenti librum mihi primus e multis occurrerat: in  
 quo tibi tu tam aperte pugnare convinceris: ut (quamquam turpiter  
 impudens es) qui locum vulgo notum, stulto silentio dissimules, et  
 30 improbe mendax: qui, quod alii legunt omnes: et ipse tanto cum  
 dolore legisti: ut ita lectum oblivisci non possis: id nusquam scriptum  
 esse contenderes: adhuc tamen perfricando frontem non potuisti

efficere: ut auderes pro loco non pugnante defendere. Quod si  
 maxime posses: quamquam sic effugeres: ne teneri posses ex eo uno  
 loco tibi esse contrarius: tamen nihilo  
 magis vitares: quo minus vinceris improbissimi  
 5 planeque digni vero nebulone mendacii, qui tanto cum  
 fastu iactasti: ne unum quidem locum a rege prolatum esse: vel  
 exempli certe causa, ne tibi daretur occasio purgandi tui. Quamobrem  
 candide lector (ut ad te misso nebulone revertar) sufficit hic  
 10 unus locus: ad revincendum (ut dixi) Lutherum impudentissimi  
 mendacii: qui negat a rege locum esse prolatum ullum repugnantiae  
 suae: ne sibi daretur occasio purgandi sui. Sed quo magis adhuc  
 vanitas hominis elucescat, accipe lector et alium.  
 SCRIPSIT Lutherus in Babylonica sua, sacramentum ordinis esse  
 quiddam novum, et ecclesiae Christi  
 15 ignotum: recenter autem inventum ab  
 ecclesia papae: et tamen idem fatetur, esse  
 apud divum Dionysium: quem non negat esse antiquissimum.  
 Stolidissimam istam hominis repugnantiam non praeteriit princeps.  
 Sed iis verbis acutissime perstrinxit. “Si  
 20 solus ex antiquis patribus Dionysius ordinem  
 esse scriberet sacramentum: vel hoc satis esset ad evertendum  
 Lutherum: qui videri vult inventionem eius sacramenti novam esse.  
 Repugnat enim esse novum: quod ab illo fatetur scriptis comprehensum:  
 quem fatetur antiquum.” ¶ Ecce lector, quid non audebit iste  
 25 mentiri: quem non pudet fingere, nullum locum protulisse principem:  
 quo dicat eum sibi fuisse contrarium: quando hic unus locus talis est  
 repugnantia: ut ea prolata, tribus fere versibus princeps totum  
 fundamentum nebulonis everterit. Neminem usquam puto tam  
 addictum esse Luthero, quin sit fassurus, utrumlibet horum locorum  
 30 sufficere, ad coarguendam eius impudentiam: quem non puduit tanta  
 magnificentia iactare, nullum, ne exempli quidem causa, locum a  
 rege prolatum esse: quo Lutherum diceret, dicere sibi ipsi contraria.

Nos tamen, ut hac in parte supersint potius  
 multa: quam quicquam desit: adiciemus  
 adhuc locum tertium: adiecturi supra  
 decimum: nisi nos puderet in re manifesta sic immorari. QUUM  
 5 Lutherus urgeri se cerneret apertissimis verbis ex epistola Iacobi, non  
 solum in sacramento unctionis extremae, sed etiam in eo: quod eius  
 maledicam linguam, et virulentum pectus pulchre depinxit  
 apostolus: ut princeps prudentissimus et sagacissime deprehendit: et  
 elegantissime tetigit: aestuare coepit insania: et cupiens ulcisci se,  
 10 primum contempsit epistolam: deinde floccifecit apostolum. Posterius  
 istud leges, ubi voles, in ipso regis libello. Ceterum illud prius  
 de epistola tangetur a nobis: quam ita contempsit: ut diceret,  
 probabile esse, eam non esse apostoli:  
 propterea quod nihil haberet apostolico  
 15 spiritu dignum. Ea in re ipsa regis verba  
 subscribam: ut videre possis: an rex nullum prorsus attulerit locum:  
 in quo diceret, sibi repugnare Lutherum. Regis ergo verba sunt haec.  
 “CERTE SI rationes attulisset Lutherus:  
 quare epistola non esset Iacobi, sed  
 20 tamen alterius cuiuspian, qui eodem loqueretur spiritu: potuisset  
 utcumque ferri. Nunc vero dicit esse probabile: quod sit indigna  
 spiritu apostolico. Qua in re non alium  
 obiciam Lutheri, quam Lutherum ipsum:  
 neque enim Lutheri quisquam aut saepius fere, contradicit, aut  
 25 validius, quam Lutherus. Is igitur in sacramento ordinis ait ecclesiam,  
 hoc habere datum: ut possit discernere verba dei a verbis hominum.  
 Quomodo ergo nunc dicit, epistolam apostolico spiritu indignam  
 esse: quam ecclesia, cuius iudicium (ut ait) in hac re falli non potest:  
 apostolico spiritu iudicavit plenam? Quamobrem nunc ita se sua  
 30 sapientia constrinxit undique: ut aut  
 necessario comprobet epistolam esse apostoli  
 (cuius contrarium dixit esse probabile) aut dicat ecclesiam, in  
 scriptura sacra posse diiudicando falli: quod eam posse negaverat.”

QUID HOC loco lector apertius? Quam frontem habet nebulo:  
 quem tam aperta negare non pudet? Quid eum necesse est ab his  
 audire: qui locis istis cum illius impudenti mendacio collatis, vanissimi  
 scurrae scurrilia verba considerent: quando scurratur hoc  
 5 pacto.

QUANDO ergo larvam, verbis larvatis  
 sine exemplo ludere libuit in re tam  
 seria et sacra. Ego sine larva sed aperte  
 dico regem Angliae Henricum istum,  
 10 plane mentiri et scurram levissimum  
 mendaciis suis magis referre quam regem. Hoc crimine ego  
 Lutherus, Thomistam hunc virulentum palam accuso, et testibus tum  
 libellis tum lectoribus meis per orbem convinco. Facessat mihi in hac  
 re maiestas regia et mea humilitas, cum mendace scurra loquor,  
 15 regiis titulis velato de rebus divinis, quarum iniuriam adversus  
 mendacia tueri, pertinet ad quemlibet christianum. Si stultus rex sic  
 regiae maiestatis obliviscitur, ut mendaciis apertis in publicum audeat  
 prodire, idque dum sacra tractat, cur mihi non pulchrum sit,  
 mendacia eius rursus in os eius regerere.  
 20 ut si quam voluptatem concepit adversus  
 divinam maiestatem mentiando, eam amittat, veritatem adversus  
 suam maiestatem audiendo.

EXPENDE quaeso lector aequissimas causas: ex quibus hic venerabilis  
 pater fas esse censet, in regem, veluti  
 25 suo iure scurrari. Quoniam rex ausus est  
 dicere, Lutherum sibi ipsi esse contrarium:  
 id dictum regis Lutherus in duo partitur crimina, eademque valde  
 capitalia. Alterum, quod rex hoc dixerit, nullo, ne exempli quidem  
 causa, prolato loco: ne ipsi locus esset defendendi sui. Qua in re quam  
 30 vanus et impudens sit venerandus pater: tertio saltem iam prolato loco  
 vides. Alterum, quod rex eo dicto mentitur adversus divinam maiestatem.  
 At quum nihil dixit aliud rex: nisi quod saepe iam probavit, delirare,  
 et assidue cum se ipso pugnare Lutherum: necesse vides esse

lector: ut si hac in parte mentiatur princeps, adversus maiestatem  
 dei: maiestas illa dei sit maiestas Lutheri. Neque enim de alio deo  
 loquutus est rex: itaque manifeste vides: ut hic reverendus pater  
 aperte nobis renunciatur deus: et ipsius ore sua bucinatur apotheosis.  
 5 Imposterum ergo cavendum est: ne hunc novum inferorum deum,  
 tam irritabilem irriteremus: sed in os cerbereum coniectis offis, conemur  
 placare placentulis: et Stesichori more  
 palinodiam canendo mitiget rex hoc pacto.  
 Divus Lutherus non est sibi contrarius, non inconstans, non mendax,  
 10 non improbus, non virulentus, non blasphemus in deum, non insanus,  
 non nebulo, non haereticus: sed ipsa fide  
 fidelior, ipso honore honoratior, ipsa prudentia  
 prudentior, dei vero divis ipsis reverentior, ipso candore candidior,  
 ipsa probitate probior, ipso pudore pudentior, ipsa constantia  
 15 constantior, et ipsa veritate veracior. Cuius rei vel hoc satis documenti  
 praebet: quod tantis ampullis ausus est iactare, nullum locum suae repugnantiae  
 protulisse regem, ne exempli quidem causa: ne ipsi daretur  
 occasio defendendi sui. Quum ipse non nesciat omnibus aperte clarere  
 regem protulisse loca multa: quorum nullum potens defendere,  
 20 coactus est, impudentissime dissimulare omnia, et negare producta.  
 Qua stolidissima negatione victus est multo turpius: quam ulla umquam  
 vinci confessione potuisset. Quemadmodum ergo Lutherus pro  
 se petebat lector: ut ex eo regis in se tractando fidem aestimares: quod  
 rex nullum proferat contrarietatis eius exemplum: ita nunc ego te  
 25 vicissim precor: ut Lutheri vanissimam fidem, ex hoc tam  
 improbo mendacio, tam convicta vanitate,  
 ex impudentia tam pudenda iudices:  
 certissimus quamcumque partem hominis excusseris: qualem hac una  
 in re perspexisti, talem in omnibus esse reperturum

5 NAM OPERAE pretium est videre: quam pulchre illa ipsa defendat:  
in quibus videri vult, sibi ipsi non fuisse contrarius. Quum obiectum  
esset ii: quod olim moderatius errasset, et de indulgentiis, et de  
Romani pontificis potestate: postea vero, correptus ira atque invidia,  
sententiam mutasset in peius: homo suavis tuetur se Pauli exemplo  
10 atque Augustini: ut cum illis nemo vitio vertat: quod a malo vertant  
in bonum: stupidus plane fuerit: qui  
Luthero non ducat laudi: quod ab scelerato  
mutavit in sceleratius. Praesertim cum  
constet omnibus, afflante Christo, caritatem illos, et pium erga deum  
studium habuisse in consilio: Lutherum nemo nesciat, insufflante  
15 diabolo, superbiam immanissimam, odium crudelissimum, invidiam  
virulentissimam, consiliarios omnium perniciosissimos,  
adscivisse sibi. Iis suasoribus  
homo constanter inconstans (ut nemo repente fit deterrimus) a malo  
primum in peius. post gradatim, iam a peiore profecit in pessimum.  
20 Et tamen tamquam via versa, pervenisset ad optimum, in arduam  
illam virtutis arcem subvectus: inde scilicet sibi plaudit uni: et  
subiectum terrarum orbem despectans, miseris insultat mortalibus:  
ac musto tantae felicitatis ebrius, tam procul e sublimi non sentit:  
quantos in se risus e terris excitet eius furiosa stultitia. Quis enim non  
25 rideat nebulonem miserrimum, tam furiosas efflantem glorias: quasi  
sederet in Christi pectore: cum clausus iaceat in culo diaboli? Inde  
crepat ac bucinat magnificas ipse de se victorias. Inde sese iactat  
vicisse papam, episcopos, monachos, moniales,  
missas: ac sese probasse, nihil aliud  
30 illa esse omnia, quam mera portenta,

idola, larvas, mendacia, et ipsissimam abominationem stantem in  
 loco sancto: et quod furor sit sacrilegi populi, velle per opera coram  
 deo agere, et non sola fide. Inde se gloriatur ecclesiam totam calcare  
 pedibus pediculosus fraterculus, et se futurum ursam in via, et  
 5 leaenam in semita, atque hostem tam implacabilem: ut hostilem  
 animum, exustus quoque (nam eum vitae finem ex haereseos conscientia  
 sibi praesagit instare) sit conduplicaturus: et cineribus in  
 mille maria proiectis, persecuturus et fatigaturus ecclesiam. Eodem  
 nimirum modo, quo sodales eius alii  
 10 cacodaemones. Obsecro lector, quis vel ex  
 his furiosi verbis non videat, furias omnes inferas, excusso homini  
 cerebro, in vacuo sedem sibi fecisse capite? quae adeo dementant  
 eum: ut sentire non sinant: quam ridiculum ac miserabilem toti orbi  
 se Thrasonem praebat. et quod ex eodem furoris fonte, unde ista  
 15 convicia, iurgia, maledicta, blasphemiaeque promanant: emuit ilia  
 quoque Stygiae paludis unda: qua sibi videtur homo demens,  
 maledicentiae crimen eluere, luto novae maledicentiae. Nam id erat  
 alterum: quod obiectum sibi conatur hoc pacto propellere.

AD ALTERUM, inquit, vitium, nempe  
 20 mordacitatis, quo me sugillat rex,  
 respondeo. Primum ii probandum fuisse iniquam meam mordacitatem,  
 et papatum innocentem esse. Alioqui cur Christus ipse, Mat.  
 xxiii. tanta vehementia scribas et phariseos  
 mordet et hypocritas, caecos,  
 25 stultos, plenos immunditia, hypocrisi,  
 homicidas criminatur? Et Paulus, quoties vehemens est in concisiones  
 (ut vocat ipse) suas et pseudapostolos, quos adulterantes et cauponantes  
 verbum dei, canes, dolosos operarios, apostolos Satanae, filios  
 diaboli, plenos dolo et malitia, deceptores, vaniloquos, fascinatores  
 30 et circulatores vocat? An et hos Thomista  
 larvatus mecum accusabit invidiae et  
 superbiae?



5 Rex vero tamquam obtinisset papatum sanctum esse, plaustris  
virulentiae et maledicentiae suae debacchatur in meam mordacitatem.  
Stolidum scilicet caput, quod abunde cognovit, papatum apud me  
pro Antichristi regno haberi.

10 VIDE amice lector, in quas angustias  
hic coniecit regem: cui priusquam Lutherum  
argueret maledicentiae, probandum  
videlicet fuerit, papatum innocentem esse: nec debuit reverendus  
pater, quum vellet blasphemare papatum: probare prius papatum  
esse nocentem. Hanc civilem prudentiam, longo nimirum usu didicit,  
ex more et consuetudine iudiciorum. Ubi quisquis accusatur, aliquod  
patrasse facinus: illico probare iubetur non fecisse se. nec tam amens  
15 umquam quisquam fuit: ut ab illo, qui reum in ius protraxit: facti  
probationes exegerit. Verum putat fortasse se reverendus pater,  
accusatoris partibus egregie fecisse satis: quod aliquot iam iurgiosis  
voluminibus, probris, et conviciis perfudit Romanae sedis antistites.  
quos omnes, nisi rex vicissim doceat, fuisse prorsus impeccabiles:  
iniurius fuerit in reverendum patrem: nisi permittat eum, citra ullam  
20 maledicentiae culpam, non papis aliquot malis, sed ipsi papatui  
maledicere. Et tam aequus est ac peritus accusator, ebrius iste  
calumniator: ut quia papas aliquot accusavit: ideo petat a iudicibus:  
ut in eius gratiam dignentur, non illos, quos accusavit, papas, sed  
ipsum damnare papatum. tamquam si quis probet, aliquos esse malos  
25 consules: obiurget consulatum: aut propter aliquos senatores improbos,  
senatum omnem postulet, ex omni prorsus urbe depelli: aut  
si quis denique propter aliquot Lutheri similes fraterculos, fratrum  
prorsus omnium totos condemnet ordines. Non potest quantumvis  
impudens Lutherus negare, bonos et sanctos fuisse romanos aliquot  
30 pontifices: nec est propheta tantus: ut certo possit praedicere, bonos  
numquam futuros: quando nec in praesentis antistitis, aut electionem  
sanctam, aut inculpatam vitam quicquam queat obicere: et tamen  
ex aliquot, quos ipsi libet vocare malos papas: ipsum damnat

papatum. Sic igitur arguit nobis reverendus pater, frater, Martinus Luther. Aliqui papae fuerunt mali: ergo papatus est malus. Quid, si quis contra sic argumentetur a simili? Fratres aliquot Augustinenses sunt haeretici, seditiosi, schismatici: ergo tota fraternitas Augustinensium est haeretica, seditiosa, schismatica. Deinde subsumat sic: sed reverendus frater, pater, potator Lutherus, est frater Augustinensis, et suppositum fraternitatis illius: ergo frater, pater, potator Lutherus, est schismaticus, et seditiosus haeticus. Quo pacto posset vestra paternitas ex ista consequentia, quae tenet per regulam vestrae paternitatis: effugere? Certe non habetis, nisi unum effugium: quod ante hoc argumentum nobis factum, paternitas vestra vestro fugit ex ordine. Verum tam argutas argutias, non intellegit, hebes videlicet Thomista rex: sed facile perpendit acutus Satanista Lutherus: quum Christus, et Paulus, tam vehementer arguerint, alter scribas, et phariseos, alter pseudapostolos: in quos potestatem habuerunt: ideo sibi licere scilicet, pediculoso fraterculo, in reges, principes, pontifices, et eorum praetextu, quos ipsi vocare libet pseudapostolos, in apostolatam verum, pro animi sui furiosa libidine quam libet impotenter invehi. Nec illum quicquam illa Christi verba commovent: quae furialem istam eius petulantiam coercere debuerant: quibus populum iubet Christus: ut scribis ac phariseis quamquam malis tamen propter Mosi cathedram obtemperarent: nec sedem sanctam spernerent propter sessores indignos. Quin et Paulus ipse per iniuriam percussus a pontifice, quum respondisset: Percutiet te deus per paries dealbate: admonitus esse pontificem, excusavit se: quod pro malefacto regesserat maledictum. Et iste nebulo se gloriatur apostolis Christi, atque ipsi propemodum Christo, parem: dum propter hominum paucorum vulgo iactatum vitium, in sanctum debacchatur officium: et Romani pontificis vere paternam caritatem, furiosis iurgiis et conviciis retaliat. Vides ergo lector candide, quam praeclare se Lutherus hac in parte gesserit: qui sic ab se maledicentiae crimen, et inconstantiae, depulit: ut non illa tantum duo sibi retinuerit: sed impudentis etiam stultitiae ac furoris adiecerit: quae numquam

ita poterit eluere: quin gloriosum Lutheri nomen, infamatura  
perpetuo, corporis ut ipse vaticinatur, exusti cineribus, et in mille  
maria proiectis, inhaereant.

84

5 Refellit Lutheri generale responsum: quo contendit  
nihil certo credendum esse: quod probari non  
possit evidente scriptura.  
Cap. VIII.

10 HIS IGITUR criminibus sic ab eo depulsis, ut ventus caecias a se  
depellit nubes: tandem, veniamus autem nunc, inquit, ad ipsam rem.  
Videlicet postquam ex octo et viginti pagellis, paginas septem tam  
exigui voluminis, in tanta re partem  
quartam ex confesso consumpsisset extra  
rem. Tandem incipit iacere fundamentum: quod haberi vult adversus  
omnia: quae regius adversus eum liber continet: generale responsum.  
15 SED HIC vide lector, hominis de sua causa male conscii vane  
vafrum consilium: quod et prodit diffidentiam: et inani succurrit  
astutia. Audivit noctem esse pro infirmis copiis: eoque pugnaturus  
ipse, statim fugit in tenebras. Responsum comminiscitur, omissis  
omnibus, ad quae respondeat: tamquam ad  
20 ea singulatim responsurus, in ea parte, qua  
se respondere simulat particulariter. Et tamen quum eo ventum est:  
vix verbum ullum invenias, cum fide recitatum: Firmissimum vero  
quodque mira dissimulatione praeteritum. Sed in generali isto  
responso praecipue, nulla prorsus re proposita, quam rex obiecerat:  
25 conatur animum lectoris dumtaxat in se convertere: tamquam  
futuro nemine, qui tam stolidam eius sollertiam umquam deprehenderet.  
Nos ergo lector diversa gradiemur via. Nam serpentem istum  
caecum, e tetris ac tenebrosis latibulis invitum protrahemus in lucem:  
et e libello principis excerpta quaedam  
30 isti responsioni praescribemus. Deinde

responsionem ipsam subiungemus. ut quum utrumque simul sub oculis  
habeas: facilius iudicare possis: hac speciosa responsione, quam velut  
omnium responsionum summam posuit: adversus illas obiectiones  
principis, ad quas respondere debuit: quam nihil omnino responderit.

5 PRIMUM in sacramento Eucharistiae.

“Praeterea quod in canone missae quaedam  
verba velut a Christo prolata, recensent: quae nusquam in  
scriptura sacra leguntur. Et tamen non dubitatur, quin dixerit.

10 Multa enim dicta sunt et facta per Christum: quae nullus  
Evangelistarum complectitur. Sed quaedam recente memoria,  
eorum qui interfuerunt, velut per manus deinceps tradita, ab ipso  
apostolorum tempore, ad nos usque pervenerunt. Lutherus non  
dubitat, Christum in cena dixisse: Haec quotiescumque feceritis: in  
15 mei memoriam facietis. atque haec usque adeo pro comperto habet,  
Christi verba fuisse: ut inde sumat argumentum, neminem cogi ad  
recipiendum sacramentum, sed rem cuiusque relictam arbitrio,  
tantum ad hoc astringi: ut quoties facimus: faciamus in memoriam  
Christi. Haec ergo verba non legit apud  
Evangelistas, in cena domini. Nam illic  
20 nihil aliud legitur, quam, Hoc facite in  
mei commemorationem. Ubi ergo legit illa verba: Haec quotiescumque  
feceritis: an non in missa? Opinor certe non alibi. Nam  
apud apostolum alia sunt. Igitur qui tantum fudit: et utitur illis  
verbis: quia reperit in canone: cur non pari fide suscipit eiusdem  
25 verba canonis: quibus missa oblatio dicitur et sacrificium.”

Et alibi de sacramento confirmationis.

“At quum loca quaedam Lutherus ipse commemorat: e quibus  
(quamquam id Lutherus irridet) habere non absurde potuerit sacramentum  
confirmationis, initium: cur tam maligne de tota iudicat  
30 ecclesia: quasi temere sacramentum suscipiat: propterea quod in illis  
locis nullum legit verbum promissionis? quasi nihil omnino promiserit,  
dixerit, fecerit Christus: quod non complectantur evangelistae. Hac  
ratione, si tantum Ioannis exstaret evangelium: negaret institutionem

sacramenti in cena domini: de qua institutione nihil omnino praecipit  
 Ioannes: qui eodem dei consilio non tetigit istud: quo multa alia  
 praeterierunt omnes: quae fecit Iesus: quae (ut inquit Evangelista)  
 non sunt scripta in libro hoc: et quae totus mundus non posset capere.  
 5 Ex quibus nonnulla, per apostolorum ora fidelibus patefacta sunt, et  
 perpetua deinceps ecclesiae catholicae fide conservata. Cui, quare  
 non debeas de quibusdam credere (quamquam  
 non legantur in Evangeliiis) quum  
 (ut Augustinus ait) nisi tradente ecclesia  
 10 scire non posses: quae sint evangelia? Quorum si nullum umquam  
 scriptum esset: maneret tamen evangelium scriptum in cordibus  
 fidelium: quod antiquius fuit omnium evangelistarum codicibus:  
 manerent sacramenta: quae et ipsa non dubito, evangelistarum libris  
 esse omnibus antiquiora: ne putet Lutherus efficax argumentum  
 15 esse, frustra suscepti sacramenti: si non reperiat institutum in  
 evangeliiis. Alioqui si nihil omnino recipiat: quod non tam aperte  
 legat in evangelio: ut tergiversandi non sit locus: quomodo credit (si  
 modo credit: qui fere nihil credit) perpetuam Mariae virginitatem?  
 De qua, adeo nihil invenit in scripturis: ut Helvidius non aliunde  
 20 quam ex scripturarum verbis, arripuerit ansam decernendi contrarium.  
 Nec aliud opponitur illi, quam totius ecclesiae fides: quae  
 nusquam maior est aut fortior, quam in sacramentis. Ego certe  
 neminem esse puto: qui scintillam ullam habeat fidei: cui persuaderi  
 possit: quod Christus, qui pro Petro oravit: ne fides eius deficeret: qui  
 25 ecclesiam suam, supra firmam petram collocavit: pateretur eam, tot  
 seculis universam corporalium rerum signis  
 inanibus, erronea fiducia, velut divinis  
 sacramentis obstringi. Si nusquam inde quicquam legeretur: illi  
 tamen, verbo mentem domini poterant enarrasse: qui praesentes  
 30 versati sunt cum eo: de quibus sic ait: Vos testes estis: qui mecum ab  
 initio fuistis. Docere poterat, quid debebat fieri, paracletus ipse: de  
 quo dixit Christus: Quum autem venerit paracletus, quem ego  
 mittam vobis, spiritus veritatis: qui a patre procedit: ille testimonium

perhibebit de me. Et rursus. Quum venerit ille: qui est spiritus  
 veritatis: vos ducet in omnem veritatem. Non enim loquetur a semet  
 ipso: sed quaecumque audierit, loquetur: et quae futura sunt:  
 annuntiabit vobis. Ecclesia ergo, quum tot et tales habuerit praeceptores,  
 5 tot vivos evangelistas, et spiritum illum: qui veritatem inspirat:  
 credetur temere instituisse sacramentum, et spem in signo  
 collocare nihili? Non credetur potius ab apostolis: non credetur  
 potius a spiritu sancto didicisse?”

Et paulo post de sacramento MATRIMONII.  
 10 “Negat usquam promissam esse gratiam. Negat usquam institutum  
 esse pro signo. Unde haec novit? Quia non  
 legitur inquit. O rationem fortem, et  
 multarum haeresum parentem. Ex hoc fonte venenum hausit  
 Helvidius. Nullum sacramentum admittis: cuius institutionem non  
 15 legis in libro? Quem librum umquam scripsit ille: qui instituit omnia?  
 De quibusdam, inquis, credo evangelistas Christi. Cur ergo de quibusdam,  
 Christi non credis ecclesiae? quam Christus omnibus praeponit  
 evangelistas: qui non nisi membra quaedam fuerunt ecclesiae.  
 Quamobrem si fidis uni: cur diffidis  
 20 universis? Si membro tribuis tantum: cur  
 toti nihil tribuis corpori? Ecclesia credit esse sacramentum: ecclesia  
 credit a deo institutum, a Christo traditum, traditum ab apostolis,  
 traditum a sanctis patribus, per manus deinceps, pro sacramento  
 traditum, ad nos pervenisse, pro sacramento, per nos tradendum  
 25 posteris, ad finem usque seculi, pro sacramento venerandum. Hoc  
 ecclesia credit: et quod credit, dicit. Hoc inquam, tibi dicit eadem  
 ecclesia: quae tibi dicit evangelistas scripsisse evangelium. Nam  
 nisi ecclesia diceret evangelium Ioannis, Ioannis esse: nescires esse  
 Ioannis. Non enim assedisti scribenti. Cur ergo non credis ecclesiae:  
 30 quum dicit, haec Christum fecisse, haec sacramenta instituisse, haec  
 apostolos tradidisse: quemadmodum credis ii: quum dicit haec  
 Evangelistam scripsisse?”

AUDISTI lector unum aut alterum locum e multis: quae scripsit

rex: in quibus ostendit multa dicta, facta, tradita esse per  
 Christum: quae nullis Evangelistarum complectitur: quae nullis  
 apostolorum scriptis continentur: nulla scriptura commemorantur:  
 sed eorum recente memoria, qui interfuerunt: velut per manus  
 5 deinceps tradita ab apostolorum tempore, ad nos usque pervenerunt:  
 et ecclesiam catholicam, in sacramentis et articulis fidei, a spiritu  
 sancto et doceri et gubernari. Atque ista probat, non ex eo solum,  
 quod alioqui absurdissima quaedam sequerentur: sed ex apertis  
 Evangelistarum verbis, evidentibus etiam sacrarum litterarum  
 10 testimoniis, et ipsius praeterea Christi. Quid ad haec Lutherus  
 obsecro? Semove paulisper lector iurgia, cachinnos, risus, et convicia:  
 nihil invenies aliud, quam duas propositiones  
 has. Nihil verum ac certum esse  
 praeter evidentes scripturas: cetera omnia traditiones esse hominum,  
 15 et cuiusque arbitrio relicta. Sed interim ad rationes, quas affert rex:  
 ad auctoritatem evangelistarum, atque ipsius Christi, quibus probat  
 praeter ea, quae scripto comprehensa sunt, facta, tradita, praecepta  
 fuisse alia, quibus omnino responsum esse oportuit: nihil omnino  
 respondet. Quamobrem qui sic respondet: ut ea, quibus respondere  
 20 debuerat: omnia relinquat intacta: quid aliud facit: quam plane  
 fatetur se nihil habere, quod dicat. Quae res, quamquam per se  
 manifesta est: tamen quo fiat magis adhuc dilucida: Lutheri verba  
 recensebimus: et nubes ac nebulas, quibus involvit se nebulo:  
 discutiemus.

25 VENIAMUS autem nunc, inquit, ad  
 ipsam rem, et more Aristotelis, qui  
 Thomistarum deus est, Primo generaliter, deinde specialiter, de causis  
 istis disputemus. Summum generale et unicum robur Henricianae  
 sapientiae, in tam regio libello est, nulla scripturae auctoritas,  
 30 nulla ratio urgens, sed Thomistica illa  
 disputandi forma, Mihi sic videtur, Ego  
 sic sentio, Ego sic credo. Et ut hic mei  
 Amsdorfii recorder, sic disputat stolidus rex, sicut ille recitare solet,

disputasse Lipsenses theologistas. Ubi quum respondens negasset  
 assumptum opponenti, probabat idem opponens hoc modo. Oportet  
 sic esse. Illo iterum negante, Denuo et ille, Et quomodo potest aliter  
 esse? Oportet sic esse, pulcherrime, et Thomisticissime, quin et  
 5 Lipsicissime et Henricissime. Sic cum ego in meo libello hoc Thomisticum  
 generale principium maxime impetissem, et divinas scripturas  
 adversus ritum, usum, consuetudinem, auctoritatem hominum  
 statuissem, Dominus noster rex nihilominus,  
 pro sua Thomistica sapientia,  
 10 aliud nihil reddit, quam oportet sic esse, Usus sic habet, Haec est  
 longa consuetudo, Ego sic credo, Patres sic scripserunt, Ecclesia sic  
 ordinavit. etc. Quod si iterum scripsero mille libros, et probavero per  
 scripturas, usum et auctoritatem hominum in rebus fidei nihil esse,  
 facile erit et regi Thomistico, mille libris respondere, et omissis scripturis  
 15 a me inductis, semper iterare, Oportet sic esse, Usus sic habet,  
 Auctoritas hominum sic dicit, atque aliud nihil. Si autem dixerero,  
 Unde probas, usum et auctoritatem  
 humanam valere? respondet, Oportet  
 sic esse, Mihi sic videtur, Sic credo,  
 20 Numquid tu doctior es unus omnibus.

QUIS NON rideat, hominis stolidissimi furiosum, et in ipsius  
 ridiculum caput recidentem risum? quando regem nugatur nihil  
 aliud afferre, quam Oportet sic esse: Usus sic habet: Haec est longa  
 consuetudo: Ego sic credo: Patres sic scripserunt: Ecclesia sic ordinavit.  
 25 Quum nemo nesciat, ipsum Lutherum scire, regem illorum  
 omnium fere nihil dicere: sed ista dicere: Hoc probat ratio: hoc  
 tradidit deus: hoc docuit spiritus sanctus: hoc dicit Evangelista: hoc  
 dicit apostolus: hoc ipse dicit Christus. Ad quae omnia, nihil  
 omnino dicit Lutherus.

30 Intellegis ergo lector, stipites istos intractabiles,  
 hoc tantum quaerere, ut sibi solis  
 credatur. Ego postulo, non mihi, sed  
 apertis dei verbis credi, illi postulant praerancidis et veterosis sui  
 cerebri visionibus credi, contemptis verbis dei. Neque enim ego vel



5 usum, vel auctoritatem hominum in totum negavi, sed libera esse  
 volo, et indifferentia, quaecumque extra scripturas sanctas scripta  
 sunt, tamquam articulos fidei necessarios fieri recuso ex hominum  
 verbis. Tolerari volo, quae bene dicuntur, et geruntur citra scripturae  
 10 testimonium. Tolerari autem libere. At trunci isti, nobis articulos fidei  
 faciunt, ex omni verbo patrum, quod tantum abest, ut sancti  
 voluerint suis scriptis tribui, ut nulla maiore blasphemia offendi  
 possint, quam dum per lethargicos Thomistas, eorum libera verba, et  
 15 facta, in necessarios articulos, hoc est laqueos mendaces, in perniciem  
 animarum vertuntur.

ECCE lector, quam dilucide proponit Lutherus: quid postulemus  
 nos: quid ipse vicissim postulet. Nos videlicet stipites intractabiles  
 postulamus: ut solis credatur nobis, hoc est solis Italis, Hispanis,  
 15 Anglis, Gallis, et denique solis omnibus: quaecumque Christi ecclesia,  
 aut hodie sit, aut usquam gentium, ullo umquam tempore, a Christo  
 passo fuerit. At Lutherus vir aequissimus, nihil postulat aliud  
 scilicet: quam ut credatur apertis scripturis: quarum apertissimas  
 passim trahit in dubium: et aperte torquet in haereses: et quum  
 20 urgetur, audet contemnere: quae paulo post faciemus ipsa luce  
 clariora. Sed interea ventilemus illud: quod ait, libera esse et indifferentia,  
 quaecumque extra scripturas sanctas scripta sunt: et  
 tantum libere tolerari vult: quaecumque bene dicuntur aut geruntur,  
 citra scripturae testimonium. Istud Luthere si verum est: cur ad illa  
 25 nihil respondes omnia: quae tibi obiecit rex? e quibus nos plura  
 suis locis allaturi, pauca protulimus interim: quae quum supra  
 legerit: qui tuum generale responsum istud leget postea: neque  
 tattum tibi quicquam illorum viderit: sed velut surdo dicta, sic  
 praeterita, et dissimulata silentio, non  
 30 poterit ignorare: quanta responsionis idoneae  
 diffidentia, et verae defensionis  
 inopia praeterieris. Sed nos quoniam te libenter ista fugere videmus:  
 eadem, atque alia itidem talia, quae dolenter aspicias: iterum tibi  
 atque iterum ob oculos ingeremus. Igitur ut coepi dicere: si libere

omnia habenda sint: et nihil certo credendum: quod non sit evidente scriptura comprehensum (sic enim tu non uno loco confirmas) quid sibi vult illud apostoli? State, et tenete traditiones: quas didicistis: sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Apostolus, ex aequo  
5 servari iubebat ea, quae per sermonem tradiderat, atque ea quae per epistolas. Aliquid igitur traditum est non tamquam liberum, sed quod citra scripturam obligaret ecclesiam. Quid ad hoc dicis Luthere? Quid ais ad illud evangelistae? Multa facta sunt: quae non sunt scripta in libro hoc.  
10 Quae quo minus ab aliis evangelistis dicas esse perscripta: negat ea totum posse mundum comprehendere. Quid ergo dices, illa omnia dumtaxat fuisse miracula? quorum etiam multa nesciri poterant absque periculo fidei? Ceterum sacramenta, in quibus ecclesia non posset absque peccato superstitionis errare: eorum nihil evangelistas  
15 potuisse praetermittere? Istud ne possis praetendere: vides id: quod etiam tibi rex opposuit, Evangelistam Ioannem non tradidisse sacramentum eucharistiae. Quod si contendas, ideo non tradidisse, quia alii Evangelistae comprehenderant: ea ratione potius omisisset alia, minoris momenti: quae licet ab illis scripta, tamen ille  
20 rursus commemorat. Quamobrem negari non poterit, etiam necessarios articulos inter ea fuisse: quae scripta non sunt: sed absque scripto tradita sunt. Iam Paulus, quum Corinthiis eodem de sacramento scriberet: Ego, inquit, sicut accepi  
25 a domino: sic et tradidi vobis. An non sine scripto, sicut accepit sine scripto: tradidit? Immo, adeo nihil omnino tradidisset scripto, neque Corinthiis, neque Romanis, neque alii cuiquam populo: si quo tempore scripsit: licuisset alloqui coram. Quae res, si fors accidisset, istis omnibus derogasset fidem: quae nunc in Paulinis leguntur epistolis. Cuius, ut  
30 ceterorum quoque apostolorum, pleraeque desiderantur: et quae supersunt, quaedam vertuntur perperam: quaedam vertuntur ambigue: nec in gemina lingua usque quaque concordant exemplaria:

et de sensu certatur incessanter. Ita, quod solum agis: numquam  
deerit ansa negandi, quod velit: asserendi, quod libet, illi, qui nihil  
admiserit praeter evidentes scripturas. Quid illud quaeso, quam vim  
habet, quod Christus dixit? Spiritus paracletus, quum venerit: ille  
5 ducet vos in omnem veritatem. Non dixit, scribet vobis: aut foris ad  
aurem loquetur vobis: sed ducet vos: hoc est, intus inclinabit vos: ac  
flatu suo, corda vestra diriget in omnem veritatem. At quos quaeso,  
ducet spiritus sanctus in omnem veritatem? an dumtaxat apostolos,  
quibus tunc ore loquebatur Christus? Apostolis ergo dumtaxat et  
10 illud dixit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.  
Quis ergo dubitat, illud Christum dixisse de ecclesia: quod  
spiritus sanctus eam ducturus esset in omnem veritatem? Quid illi,  
quibus dictum est: Ite, praedicate evangelium omni creaturae?  
Evangelium praedicabant ex scripto? et novam legem Christus sic  
15 referri iussit in tabulas: aut in aes inscribi: ut si quid ibi non legeretur:  
id protinus omne reiceretur pro nihilo? Ita ne dei verbum, ab  
apostolo quoque commemoratum, nihil movet Lutherum: Ego dabo  
leges meas in cordibus eorum: et in mentibus eorum superscribam  
eas? Non dicit in lapide: non dicit in lignis: sed ut legem veterem  
20 scripsit in lapide primum, post in ligno, sed semper foris: sic novam  
intus dei digito scribet in libro cordis: ut quod minimo tempore  
duravit in duriore materia: perpetuo durare faciat in mollissima. Sic  
deo placuit ostendere potentiam suam. Saxaeae tabulae protinus  
fractae sunt: lignae duravere diu: In corde vero quod scripsit:  
25 durabit indelibile. In corde igitur, in  
ecclesia Christi, manet inscriptum verum  
evangelium Christi: quod ibi scriptum est  
ante libros evangelistarum omnium. Ibi fidem suam sic inscripsit  
deus: ut nulla possint haeticorum praestigia delere: quantumvis  
30 afferant ex libris evangelii scripturas, in speciem verae fidei contrarias.  
Hinc stetit Christi fides, adversus hostem Christi matris,

Helvidium. Hinc stetit, adversus hostem  
 ipsius Christi, Arrium. Hinc stetit invicta.  
 adversus plurimos haeticorum cuneos: qui eam eodem ariete  
 oppugnabant: quo nunc Lutherus oppugnat: dum negarent publicam  
 5 ecclesiae fidem e scriptura probari: aut scripturas esse dicerent  
 fidei contrarias. Sed ecclesia Christi non dubitavit: quicquid  
 spiritus sanctus inspiravit ecclesiae, id esse procul dubio verum: sive  
 comprehensum id scriptura sit: sive nulla scriptura comprehensum.  
 Immo si qua scriptura produceretur, in speciem contraria: eam fides in  
 10 corde praescripta docebat, non satis intellectam esse his: quibus ita  
 videretur: quum esset certissimum, neque Christum ecclesiae suae in  
 articulis fidei deesse, neque spiritum dei veracem sibi esse contrarium.  
 Quod si adhuc stolidè persistas in eo: ut contendas, nihil esse factum,  
 ac traditum, praeter scripturas: nec te ab ea stultitia deducant ea  
 15 scripturarum testimonia: quae ex ipso regis libello memoravi: quibus  
 tu nihil omnino respondisti: vellem saltem hoc expedias, quod in tota  
 scriptura sacra, pater nusquam vocatur ingenitus, filius nusquam  
 homusios: nusquam satis aperte legitur,  
 spiritus sanctus a patre filioque procedere:  
 20 Immo vero sancti spiritus deitatem ipsam.  
 adeo contenderunt haetici non satis elucere scripturis: ut eum quod  
 testatur beatus Gregorius Nazanenus, appellarint theon agrapton:  
 hoc est deum: de quo non scribitur: An tu  
 idcirco vetabis, horum quicquam certo  
 25 credi: et liberum cuique statues: ut citra salutis suae dispendium,  
 patrem neget ingenitum: filium neget homusion: spiritum sanctum  
 neget ab utroque procedere? Quid responderes ad illud: quod de  
 perpetua virginitate Mariae, adeo nihil omnino reperitur in scriptura:  
 ut magno labore probarit Hieronymus, scripturas non habere  
 30 contrarium. Quod, quamquam probavit egregie: non tamen tam  
 evidentibus probavit scripturis: ut sustulerit adversario omnem  
 facultatem disputandi. Sed totus articulus plane pendet ex ecclesiae  
 fide: cui an in hoc articulo pareas: velim aperte respondeas. Ego

te interim credo, quamquam sis impius, tamen hac sane parte parere:  
 cui certe si esse putas parendum: aliquid admittis praeter scripturas,  
 contra fundamentum tuum. Quod si tam impius sis: ut deiparae  
 virginis integritatem in dubium vocare non dubites: non eris tamen,  
 5 opinor, tam impudens: ut eucharistiae sacramentum, quod unum  
 fere nobis reliquisti: nec tamen a sceleratis digitis tuis impollutum:  
 nunc rursus neges esse sacramentum. Nec  
 illud opinor, recantabis: Nullum sacramentum  
 esse, cuius nulla promissio gratiae,  
 10 nulla peccatorum remissio legitur in scriptura sacra: quod unicum  
 delegisti tibi, ad omnia sacramenta subvertenda fundamentum. Age  
 ergo Luthere: hac saltem parte consistite tecum: turpe tibi fuerit, hoc  
 principali fundamento depelli. Sceleratum negare esse sacramentum  
 eucharistiae.  
 15 At ex his duobus, rex effecit: ut alterum tibi fuerit, velis nolis,  
 relinquendum. Recognosce nunc nebulo verba illa principis: quorum  
 cauterio, meretriciae fronti tuae, eam stultitiae notam, atque impietatis  
 inussit: quam nulla dissimulatione possis obtegere.  
 “NUNC quoniam ex ipsius Lutheri  
 20 fundamento probavimus, sacramenta,  
 quae credit Ecclesia, non aliunde quam a deo potuisse constitui:  
 etiam si nihil inde prorsus in scriptura legeretur: Videamus, an  
 scriptura tam nullam omnino mentionem faciat huius sacramenti.  
 Omnes una voce fatentur, apostolos in cena domini ordinatos in  
 25 sacerdotes. Solus istud Lutherus negat: quum plane constet illic,  
 datam potestatem conficiendi corporis Christi: quod solus  
 conficere sacerdos potest. At non est, inquit ille, sacramentum: quia  
 non fuit illis ulla promissa gratia. Unde id novit Lutherus? quia non  
 legitur, inquit. familiaris est ista Luthero consequentia: Non est in  
 30 evangelio scriptum: ergo non est a Christo factum: quam colligendi  
 formam, infirmat Evangelista: quum dicit: Multa facta sunt: quae  
 non sunt scripta in libro hoc. Sed tangemus tamen Lutherum aliquanto  
 propius. Eucharistiam concedit  
 esse sacramentum: quod nisi fateretur:

insaniret. At ubi reperit in scriptura, promissam in illo sacramento gratiam? Nam ille nihil recipit nisi scripturas, et easdem claras. Legatur locus de cena dominica: non reperiet apud ullum evangelistarum, in  
 5 susceptione sacramenti promissam gratiam. Legitur a Christo dictum: Hic est sanguis meus novi testamenti: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quibus verbis significavit, semet in cruce per passionem redempturum genus humanum. Sed quum dixit ante:  
 10 Hoc facite in meam commemorationem: nullam hoc facienti, id est sacerdoti consecranti, aut eucharistiam recipienti, gratiam ibi promittit: nullam peccatorum remissionem. At nec apostolus, in epistola ad Corinthios, quum interminetur male manducantibus iudicium, ullam mentionem facit de gratia bene manducantium.  
 15 Quod si quid ex capite sexto Ioannis, gratiam promittat suscipienti sacramentum, carnis et sanguinis domini: ne id quidem iuvare Lutherum potest: quippe qui totum illud caput negat, ad eucharistiam quicquam pertinere. Videtis ergo, ut istam promissionem gratiae, quam pro totius sacramenti fundamento magnifice nobis  
 20 in toto promisit opere: non potest in eo tueri sacramento: quod fere solum reliquit: nisi (quod necesse habet) praeter scripturae verba recurrit ad ecclesiae fidem.”

AUDISTIN haec Luthere prius? an potando lethargum concepisti tantum: ut  
 25 ista tibi ad aures inclamata, non audias? Cur ad haec obticuisti: quum tam magnifice te respondere iactites? Hoccine tibi dissimulandum fuit: quod unum tibi totum illud fundamentum destruit: quo uno, tu videri vis, sacramenta destruxisse omnia? Nam quum hoc unum Babylonis tuae fundamentum ieceris, nullum sacramentum  
 30 esse: cuius promissio gratiae non legeretur apertis scripturae testimoniis: ac nunc idem fundamentum iacias auctius, nihil omnino credendum pro certo: quod non aperte legatur in scriptura sacra, eo te compellit princeps: ut aut eucharistiae tibi sacramentum sit negandum: quod ante fere solum concessisti: aut si velis in eo

persistere: necesse tibi sit, ab hoc praeclaro fundamento desistere:  
et praeter scripturae sacrae verba, confugere ad publicam fidem  
ecclesiae (ut ipse vocas) papisticae.

108

5           Refellit illud, quod si quid praeter scripturam verum  
          sit, certum tamen esse non possit: et periculum  
          fore, ne vana pro veris veniant in articulos  
          fidei, et traditiones hominum pro  
          traditionibus dei. Cap. IX.

10        QUID RESPONDET frater, pater, potator, ad haec? ebrius dormit:  
          sepultus est in scypho: non audit. An postquam illud villum  
          edormierit: tum e crapula surgens istud nobis eructabit? Quod quamquam  
          vera sunt aliqua, nullis adhuc scripturis comprehensa: certa  
          tamen esse, et comperta non possunt? Nam quum plurima liceat  
          confingere: dicit videlicet, quod vera illa ab iis, quae fingerentur:  
15        nulla possemus nota distinguere. Ex quo secuturum, dicit illud absurdum:  
          ut omnes humanas traditiones amplectamur pro traditionibus  
          dei. Si istud verum est: homo cautus Lutherus est: sed parum  
          cautus Evangelista: parum cautus apostolus: qui quum quaedam (ut  
          ostendimus) non complecterentur scripto: quae necesse fuit ab  
20        ecclesia servari: non viderunt, aut illa posse aliquando excidere e  
          memoria, aut eorum praetextu, etiam alia, quae ab humana vanitate  
          proficiscerentur, auctoritatem sibi posse comparare: quasi simili  
          modo traderentur a deo. Et tamen ita sibi fortis videtur hac in parte  
          Lutherus: ut centies illud exclamet nobis: nihil esse pro certo et  
25        indubitato tenendum: quod non ex scripturis eluceat, et eisdem  
          etiam manifestis, atque evidentibus. Alioqui censet necessario consequi:  
          ut per errorem obliget ecclesia sese,  
          ad vana signa, pro veris sacramentis: dum  
          traditiones hominum putet esse traditiones dei: Aut ex ambiguo  
30        scripturae textu, adversus veritatem falso adhaereat sensui. Nam  
          hunc errorem censet Lutherus invincibilem. Hoc loco opponere

- adversus utrumque possemus, non unum quempiam ex antiquis  
 patribus, aut unum locum e scriptura sacra: nisi potius visum esset  
 obicere Luthero, unum illum, quem unum  
 omnibus praefert patribus, omnibus praefert  
 5 Evangelistas, Lutherum. Quem ipsum non tam obiciemus  
 nos: quam prolato loco, lectorem commonebimus, a rege iam olim  
 obiectum. Et quoniam refelli non potuit  
 a Luthero, per dissimulationem praetermissum  
 silentio. Sic igitur habet rex in sacramento ordinis.
- 10 “SED VELUT inevitabile telum promit:  
 quod hoc sacramentum, nullam  
 habet promissionem gratiae ullibi (ut  
 inquit) positam: cuius sacramenti, vel verbo meminisse negat totum  
 novum testamentum: et ridiculum (ait) asserere pro sacramento dei:  
 15 quod a deo institutum nusquam potest monstrari. Nec licet (inquit)  
 astruere aliquod divinitus ordinatum: quod divinitus ordinatum non  
 est: sed conandum est: ut omnia nobis claris (inquit) scripturis sint  
 firmata. Utrum in novo testamento nulla prorsus fiat huius sacramenti  
 mentio: post excutiemus. Interim sic agam cum illo: tamquam  
 20 nulla prorsus mentio fieret. Nam eodem telo se sperat omnia fere  
 sacramenta perfodere. Adversus quod telum, ego in scutum mihi  
 idipsum ferrum coniciam: quod Lutherus ipse fatetur impenetrabile.  
 Sic enim se habent ipsius verba.
- 25           Hoc sane habet ecclesia, quod potest  
 discernere verbum dei a verbis hominum,  
 sicut Augustinus confitetur se evangelio  
 credidisse, motum auctoritate ecclesiae,  
 quae hoc esse evangelium praedicabat.
- 30 Igitur quum istud habet (ut Lutherus fatetur) ecclesia: quod verbum  
 dei discernere potest a verbis hominum: certum est istud non  
 aliunde habere, quam a deo. Nec ob aliam causam, quam ne in his  
 erraret Ecclesia: in quibus non erratum esse oporteat. Sequitur igitur



ex hoc fundamento: quod nobis substravit Lutherus: ut ecclesia  
 habeat a deo, non id solum, quod concedit Lutherus: discretionem  
 verborum dei, a verbis hominum: sed etiam discernendi  
 facultatem, qua in scripturis divinis, divinum sensum ab humano  
 5 discriminet. Alioqui enim, quid profuerit: si Ecclesia (deo docente)  
 scripturam veram discernat a falsa: et in scriptura vera, falsum  
 sensum non discernat a vero? Denique eadem ratione, et istud  
 sequitur: ut et in his quae non scribuntur: ecclesiam suam doceat  
 deus: ne per errorem possit, falsa pro veris amplecti: quum ex ea re  
 10 non minus impendeat periculi: quam si vel scripturas hominum  
 teneat pro verbis dei: vel e veris dei verbis, falsum eliciat sensum:  
 praesertim si falsa suscipiat sacramenta pro veris, et traditiones  
 hominum pro traditionibus dei, immo non traditiones hominum, sed  
 15 signis (quemadmodum magi faciunt) ecclesia Christi, velut in  
 Christi sacramentis collocet. Liqueat ergo  
 manifeste ex eo, quod fatetur Lutherus,  
 ecclesiam hoc habere: ut verba dei discernat  
 a verbis hominum: Hoc quoque non minus habere, ut traditiones  
 20 dei discernat a traditionibus hominum: quum alioqui, utrobique  
 possit ex aequo vitandus error exoriri: nec id agat Christus: ne  
 ecclesia sua hoc aut illo erret modo: sed ne erret ullo. Errare vero  
 maiore cum iniuria Christi non possit: quam si fiduciam in illo  
 ponendam solo, ponat in signis nulla prorsus fultis gratia, sed omni  
 25 bono fidei vacuis atque inanibus. Non igitur errare potest ecclesia, in  
 suscipiendis sacramentis fidei: non magis inquam quam errare potest  
 in suscipiendis (qua in re ecclesiam errare non posse fatetur Lutherus  
 ipse) scripturis. Quae res, si se haberet aliter: multa sequerentur  
 absurda. Sed hoc in primis, quo nihil potest esse absurdius: quod  
 30 pleraque omnia fidei christianae dogmata, tot stabilita seculis, ad  
 succrescentium haereticorum libidinem, denuo revocarentur in  
 dubium. Nam si nihil haberi pro certo debet: nisi quod scripturis et  
 eisdem (ut Lutherus ait) claris, firmatum est: non solum non asseremus  
 divae Mariae virginitatem perpetuam: sed et inexhausta

suggeretur fidei oppugnandae materia: si cui umquam libeat aut  
 novas excitare sectas, aut resuscitare sepultas. Nam paucissimi fuerunt  
 haeretici: qui non receperint scripturas: sed omnes fere ex eo, sua  
 statuebant dogmata: quod aut ea contenderent esse firmata scripturis:  
 5 aut quum illis viderentur rationi consentanea, contrarium non  
 definiri scripturis. Quoniam ea, quae proponebantur adversus suam  
 sectam, aliter contendebant intellegi: quam orthodoxa intellegebat  
 ecclesia: et ne clara dici possent, aut alio excogitato sensu, aut prolatis  
 aliunde ex eadem scriptura locis, in speciem valde contrariis,  
 10 omnia sic turbarunt: ut viderentur ambigua. Ita adversus Arrium  
 nisi publica stetisset fides ecclesiae: haud scio: an defuisset umquam  
 de scripturis disputandi materia.”

NON dubito lector: quin, dum legis haec: et admireris et detesteris  
 istam nebulonis improbam atque impudentem dissimulationem:  
 15 qui tamquam surdus eum cantum praetereat: quem nemo non sentit  
 auriculas eius asininas tanto cum doloris sensu penetrasse: ut nec  
 ebrius quidem sensum possit eius doloris excutere. Quod enim telum  
 cadere potuit in Lutherum violentius: quam quo factum est: ut suis  
 ipsius verbis vulneratus et confossus iaceat. Raro verum dicit:  
 20 et tamen id ipsum, quod dicit verum,  
 falsitates, quas astruit ipse, convincit. Quid  
 hic Luthere comminisceris effugii? qua  
 stolida strophæ laborabis elabi? Convoca nebulonum, potatorum,  
 scortatorum, sicariorum senatum: explicent te ab hoc labyrintho:  
 25 suadeant, ut quod saepe fecisti, facias denuo revoces atque recantes:  
 si quam umquam syllabam dixisti bene. Clama paenitere te: quod hoc  
 fassus es: ecclesiae datum, ut scripturas dei discernat a scriptis  
 hominum. Quod si feceris, id quod plane facies aliquando: simul  
 concedas oportet, incertum atque invalidum esse illud ipsum: quod  
 30 ore tantum clamas, corde nihil credis, evangelium. Sin non illud

revoques: sed ecclesiam concedas, hoc habere datum a deo: ut non  
 possit errare, in discernendis dei verbis a verbis hominum: nec eius  
 aliam possis assignare causam, quam  
 peculiarem dei curam: qua sic gubernat  
 5 ecclesiam: ut in rebus tam magni momenti  
 eam nolit errare, necesse est, illud concedas etiam: quod deus  
 ecclesiae non deerit in scripturis intellegendis, aut dinoscendis traditionibus,  
 sicubi tale urgeat periculum ex ignorantia: quale fuerit: si  
 permittatur errare in necessariis articulis fidei, vel sacramentis: in  
 10 quibus errare, nihil est aliud, quam fidem subtractam deo, non in  
 homine ponere, sed in signis inanibus collocare: quod prope deterius  
 est, quam vitulum adorare conflatilem. Qua in re, quantum absit:  
 ut Christus desit ecclesiae: ipse testatur, dicens: Ego vobiscum sum  
 usque ad finem seculi.

15           Ostendit Lutherum tergiversari stolide, conantem  
 controversum facere, quae sit ecclesia catholica: et  
               simul respondetur ad inanes eius logos: quibus  
               nugatur in Ambrosium Catharinum de  
               eadem ecclesia. Cap. X.

20       SED HIC fortassis, ut est impudens: quaestionem faciet (id quod  
 saepe facit) de ecclesia: et totam ecclesiam, quam appellat papisticam:  
 negabit esse ecclesiam illam Christi. Qua in re, ne quid deesset:  
 nebulonem istum et vere et acute prudentissimus princeps attingit.  
 Nam in Sacramento ordinis, quum recitasset  
 25 haec verba Lutheri, ex captivitate  
 Babylonica: Hoc sacramentum ordinis ecclesia Christi ignorat,  
 inventumque est ab ecclesia papae: subiungit princeps.  
               “HAEC pauca verba, non parvum  
               habent et falsitatis et absurditatis acervum.  
 30 Nam et ecclesiam papae discernit ab ecclesia Christi: quum papa sit  
 eiusdem ecclesiae pontifex, cuius et  
 Christus. Ait ecclesiam invenisse: quod

non invenit: sed accepit institutum. Ait ecclesiam Christi, hoc  
 ignorare sacramentum: quum satis constet, nullam fere mundi  
 plagam esse: quae rite profitetur fidem Christi: quin ordinem  
 habeat pro sacramento. Nam si posset obscurum aliquem angulum  
 5 reperire (quod, opinor, non potest) in quo nesciatur sacramentum  
 ordinis: tamen angulus ille non esset cum reliqua comparandus  
 ecclesia: quae non Christo solum subest: sed et propter Christum,  
 unico Christi vicario, papae Romano et ordinem credit esse  
 sacramentum. Alioqui si perstet in eo Lutherus: ut ecclesiam  
 10 papae discernat ab ecclesia Christi: et apud alteram dicat ordinem  
 haberi pro sacramento, non haberi  
 apud alteram: proferat illam ecclesiam  
 Christi: quae contra fidem papalis (ut vocat) ecclesiae, ignorat  
 sacramentum ordinis. Interim certe perspicuum est: quum dicat, hoc  
 15 sacramentum ignorari ab ecclesia Christi, et de Christi ecclesia, dicat  
 eos, quibus praesidet papa, non esse: utraque ratione ab ecclesia  
 Christi eum segregare non Romam tantum, sed Italiam totam,  
 Germaniam, Hispanias, Gallias, Britanniam, reliquasque gentes  
 omnes, quaecumque Romano pontifici parent: aut ordinem pro  
 20 sacramento recipiunt. Quos populos omnes quum de Christi tollat,  
 ecclesia: necesse est: ut aut ecclesiam Christi fateatur esse nusquam:  
 aut more Donatistarum, ecclesiam Christi catholicam, ad duos aut  
 haereticos redigat, de Christo susurrantes in angulo.”

VIDES lector, eo rem redegissem regem: ut si ecclesia, quam vocat  
 25 Lutherus papisticam: non sit ecclesia Christi: necesse sit, aut nusquam  
 esse ecclesiam Christi, aut illic esse tantum, ubicumque sint duo  
 vel tres haeretici, de Christo susurrantes in angulo.

QUID ad haec respondet Lutherus? tacet: satis laudat: agnoscit  
 sic intellegere se, Christi verba, dicentis: Ubicumque sunt duo vel tres  
 30 congregati in nomine meo: ibi et ego sum in medio eorum. Neque  
 meminit, quicumque separantur ab ecclesia:  
 eos, etiam si congregentur, ac loquantur  
 de Christo, conciliabulum esse diaboli. Una est ecclesia Christi:  
 extra quam, nulla est ecclesia, nisi malignantium. Atqui, nihil miror,

Lutherum nihil ad ista respondisse regi. Nam is perpetuus homini  
 mos est: assidue inculcare sua: sed interim semper omnia  
 transire: quae obicit adversarius: quemadmodum in hac ipsa  
 quaestione fecit: dum responderet Ambrosio Catharino: quem  
 5 quantumvis irrideat is: qui in eo libro Theseus Luthero fuit in exhauriendis  
 infacetis facetiis: tamen is quoque non dubito quin videat.  
 Catharino, plus esse et ingenii et eruditionis in digito: quam habeat  
 Lutherus in cerebro. Cui quum responderet iste de potestate pontificis  
 et ecclesiae: nihil omnino respondit ad  
 10 ea quae: Catharinus obiecerat. Quae quisquis  
 aequus et incorruptus legerit, et cum  
 Lutheri scriptis contulerit: pronuntiabit Lutherum egregium esse  
 nugonem: qui, tacitis omnibus quae dicit is, cui respondet, nihil  
 respondet aliud: quam nego omnia quae dicis. Nolo distinctiones.  
 15 Nihil credo praeter scripturas. De scripturae sensu, non credo sanctis  
 patribus: nam erraverunt omnes. Nolo allegationem inconvenientis.  
 Allegatio inconvenientis non soluit argumentum: et mille nugas  
 eiusmodi.

NAM, quum Catharinus, id quod necesse est, ecclesiam istam  
 20 militantem distinguat a triumphante: quod in altera promiscue  
 vivant mali cum bonis, in altera dumtaxat sancti, non vult distinctiones  
 Lutherus: non distincturus, ut video, inter electionem, de qua  
 Christus ait, Multi sunt vocati pauci vero electi, et electionem illam  
 de qua dicit idem, Nonne duodecim elegi vos, et unus ex vobis  
 25 diabolus est? At, ne manifeste se nugari fateatur, iubet distinctiones  
 ex scriptura probari: velut tum demum crediturus, et tamen idem  
 nihilominus irridet distinctionem: qua fides caritate formata  
 distinguitur ab informi.

Vos finxistis commentum omnium  
 30 nequissimum illud, informis fidei: quo  
 facilius et tutius sacrilegia vestra, in scripturas dei seu latrones Moab  
 mitteretis. Nobis autem Paulus dicit. Quae societas lucis et tenebrarum?  
 Quae conventio Christi et Belial.

VIDES ut hanc distinctionem, velut ex auctoritate Pauli, pronunciet  
 35 esse non solum fictam, sed etiam nequissime fictam. Sed interim,

dissimulat quod apostolum ipsum nequitiae  
insimulat nebulo. Quid enim frequentius  
in ore Pauli: quam haec distinctio?

5 Quod multis in locis inculcat, quam multum intersit inter eam fidem  
quae caret caritate et bonorum operum vita, et eam quae per  
dilectionem operatur. Sed Lutherus satis fuit, alterum clamare,  
alterum dissimulare silentio.

10 IAM, quum Catharinus allegaret interdum quaedam: quae  
divinitus ecclesiae tradita, scribunt omnes sancti patres, et totus  
credit christianus orbis: clamat Lutherus  
nihil recipio praeter evidentem scripturam.  
Ceterum quod omnia scribi curarit  
Christus, quae vult Christianos credere, id  
constanter negant fideles omnes: nec adhuc ullo scripturae verbo  
15 probat Lutherus.

QUUM de cuiuspian scripturae sensu verteretur quaestio, et  
Catharinus pro interpretatione quam asserebat ipse, constantem  
afferret sanctissimorum patrum, antiquissimorum interpretum, eruditissimorum  
virovum consensum, clamat Lutherus non curo sanctos  
20 patres: non curo veteres interpretes: non curo doctos illos doctores:  
omnes erraverunt, ut homines: nec interim fere quicquam affert pro  
se: nisi quod clamat verum esse quicquid dicit: et quod ipse non  
errat: nec errare potest utpote non homo, sicut erant sancti  
patres: sed extra sortem humanam infallibilis asinus.

25 QUUM Catharinus probaret ex Lutheri  
positione, multa sequi absurda, et  
inconvenientia clamat Lutherus: Allegatio  
inconvenientis non solvit argumentum: quum deductio ad inconviens  
fortissimum sit, et probandi genus, et confutandi. Sed  
30 Lutherus nihil dicit, etiam si quis ex eius dogmate probet consequi  
hominem esse asinum. Non magis profecerit: qui probet istud  
Luthero: quam, si quis idem probet asino.

QUUM Catharinus diceret, in illis verbis, Matth, xvi. Tibi dabo  
claves regni caelorum, promissas esse claves, non datas: sed ex eo

probari necessario datas esse: quod dubium non sit quin Christus verax impleverit promissionem, respondet Lutherus, etiam si promisit Christus non esse credendum: quod promissa praestiterit: nisi in scriptura legatur implevisse.

124

5 Nam, opus est locum, personam, et  
tempus exhibitae promissionis, non nostra  
suspicionem, sed illius testimonio nobis certificari. Si enim in scripturis  
ista exhibitio clavium non poterit ostendi, in hodiernum usque diem  
erimus incerti: quo tempore Petrus eam  
10 acceperit. Absit autem, ut nos Christus  
sic incertos reliquerit: ut nesciamus, quo tempore, quo loco Petrus  
claves acceperit.

O MAGNUM periculum: si nesciamus: quo tempore, quo loco  
Petrus claves acceperit. Nam istud nescire, profecto non multo minus  
15 periculi fuerit: quam si quis nesciat quo die, et quo loco Petrus  
baptizatus sit.

PRAETEREA, quum Lutherus interdum  
scripturae textum quempiam detorqueret  
in partem suam, Catharinus eius  
20 interpretationem falsam refellens, quum veriolem sensum suffragantibus  
antiquis interpretibus confirmasset, refert ex abundantia, alios  
etiam sensus: quorum quemlibet ostendit esse magis probabilem:  
quam sit ille quem Lutherus, solum verum evidentemque contendit.  
Istud vero Lutherus sic eludit.

25 Non tibi permitto ut scripturae plures  
quam unum sensum tribuas. Nihil apud  
me valet: quod toties tentas. Potest etiam sic dici: potest etiam sic  
intellegi: potest etiam sic responderi. Potest mi Catharine: haec  
omnia sunt argumenta falsitatis, et mera effugia, et plane robora meae  
30 sententiae.

SCILICET Luthere. Quid ni? ut si quis ostendat, te proferre talem  
pro sensu, indubie, vero: qui sit e multis minime verisimilis: quo  
pluribus modis ostenderis esse stolidus: eo vicissim magis gloriare tu,  
velisque multo videri sapientior.

Sic, dicito. Hoc sic, et non aliter intellegi  
debet: ut afferas unum constantem simplicemque  
sensem scripturae: sicut et ego facio, hoc est enim theologi,  
sicut illud sophistae.

5 CERTE Luthere ut litteralem sensum, fateor esse fere semper unice  
efficacem ad probandum quippiam: si quando sit perspicuus: ita  
quum saepe accidat ut res dicatur obscurius: quam ut unicus ille  
sensus ex ambiguis verbis eniteat eruditissimus quisque, et sanctissimus  
10 theologorum veterum solitus est diversos sensus elicere rem in  
medio relinquens expendendam. Nimirum,  
arbitrati sunt tutum illud esse, et  
modesti vereque deo digni theologi, non  
sophistae quemadmodum scribis officium. Istud vero. quod  
15 solum tu clamas theologi esse officium, theologi illi veteres et veri,  
partes existimabant esse, vere mereque stolidi, superbique nebulonis  
temeritatem: qui sensum scripturae dubium, et inter eruditos  
controversum, aut ex suo sensu solo commentum, solum contendat  
esse genuinum. Cuiusmodi stultorum genus admonet, ac taxat  
20 sapiens ille quum dicit, Ne innitaris prudentiae tuae, et ne sapiens  
videri velis in oculis tuis. At Lutherus in oculis suis solus sapiens,  
exclamat.

Nolo Catharine usum longum, et multitudinem  
tecum sentientium invoces,  
25 verbum Christi hic me urget. Huic credendum est uni prae omnibus  
sanctis, etiam angelis.

30 CREDENDUM est procul dubio Luthere plus uni Christo, quam  
sanctis omnibus, et omnibus angelis. Verum, quum deus loquatur in  
sanctis suis, iuxta illud: Non estis vos, qui loquimini: sed spiritus  
sanctus qui loquitur in vobis: quum tot sancti, tam docti consentiant,  
verba Christi non in eam dicta sententiam: quam tu solus, contra tot  
sanctos, tam doctos contendis. Iam non quod tu iactas, Christo  
consentit: qui consentit tecum: sed contra veritatem quam deus tot  
sanctis suis inspiravit, consentit mendaciorum patri diabolo: qui per  
te veritatem conatur intervertere. Nam quum tu pro tuo more,



scripturam detorqueas, dicens: De quo enim angelorum aliquando  
 dixit: hunc audite? quasi ex illo verbo, nihil debeas credere: quod  
 quisquam dicit alius: Cur non illius etiam verbi meministi: quod  
 Christus ipse dicit apostolis, ac per illos ceteris: haud dubie  
 5 sanctis: quibus ipse dignatus est suum spiritum infundere? Qui vos  
 audit me audit. Quem spiritum suum, quum abunde Christum  
 constet inspirasse sanctis ecclesiae doctoribus: quorum et doctrinam  
 et vitam multis comprobavit miraculis, etiam si nemo unus non  
 aliquando sit lapsus ut homo, quod tu quoque praedicas ipsis contigisse  
 10 apostolis, tamen in quo tam frequentes per tot aetates conspiravere,  
 est non dubitandum in illud eos divini spiritus aspiratione  
 consensisse, qui facit unanimes in domo: et te, quum eorum consensum  
 spernas, et saepe blasphemus exclames: Non curo centum  
 Hieronymos, non curo mille Cyprianos, Augustinos, Ambrosios: in  
 15 illas Christi minas impingere: Quis vos spernit me spernit.

QUUM Catharinus ii concessit, verum id quidem esse: quod  
 Christus sit vera et solida petra, et verum caput ecclesiae: sic tamen  
 ut petrus etiam, et petra sit et ecclesiae caput sub Christo, hic mirifice  
 sibi plaudit Lutherus: et sibi videtur perquam festive scurrari.

20 Non sentit stolidum hoc caput: quod  
 si mea disputatio uno aliquo sensu vera  
 conceditur, presertim in spiritu: quod mihi concedit Catharinus, iam  
 plane vici etiam adversarii accedente calculo.

DEINDE pergit homo festivus facete scurrari iactitans crasse sibi  
 25 philosophandum esse, coram crasso et pituita laborante capite: quia  
 nihil esset asinus ad lyram, et ideo Catharinum Lutherus, omissa lyra  
 lepidus illudit litteris, et velut puerum, docet per .A. et .B: tamquam  
 demonstratione geometrica rem probaturus sic enim scribit:

30 Quod si A. disputet cum B: et eo res  
 procedat: ut A. concedat B. optime, et  
 in spiritu locutum esse, se vero alium sensum externum sequi: et tamen

hoc ipso facto, A gloriatur sese vicisse, illumque confutasse, deinde conviciis totum agat triumphum. Quid hic spectator iudicabit? An non Bacchas, aut Corybantes insanire putabitur?

130

5 HA. HA. he, facete, laute, lepide Luthere, nihil supra. Catharinus plane perditus. Risu omnes qui audiunt emoriri. Denique metuunt omnes iam te. Sed, quaeso te Luthere bona cum venia tua, liceat nobis hominibus crassis, istam demonstrationem tuam, ut ipse fateris crassam, crassius adhuc excutere. Fac igitur disputent inter se .A. et .B: et dicat. A. Mosen fuisse ducem filiorum Israel ex Egipto: B vero 10 illud omnino perneget. Deinde dicat ipse B. deum fuisse ducem, et id ii concedat A. et fateatur ipsum .B. in hoc optime et verissime dicere, et maxime in spiritu, et tamen id nihilo minus verum esse, quod dicit ipse. A. videlicet ducem filiorum Israel fuisse Moisen. Iam si .B. 15 propterea quod .A. concedat ii verum illud esse, quod dicit ipse, et maxime in spiritu gloriatur ex eo se vicisse, et conviciis totum agat triumphum, quid hic Luthere spectatores sentient? An non vere bestiam esse B? an non fuste dignum sentient eius vere crassum et pituitosum caput?

20 IAM, quale est illud: quod ais: praesertim in spiritu? Nuper dicebas non spirituale sensum, et mysticum probare quicquam: sed litteralem tantum. At nunc subito quum tibi Catharinus concederet verum esse spiritualiter, quod Christus sit petra: sed Christum tamen illo apud Mattheum loco, non de sua praecellencia loquutum: sed de praeficiendo suo gregi vicario, placet ilico tibi sensus spiritualis, 25 et ad rem probandam praefertur litterali. Nam ex eo quod te concedit, aliquo sensu verum dicere, praesertim in spiritu, concludis eum falsum dicere: quum sanctorum patrum calculis obsistat tibi subvertenti litteram. Nam etiam si verum sit, ut est: quod Christus est 30 verissima et solidissima petra, verissimum caput ecclesiae et verissimum ecclesiae fundamentum lapis angularis: qui fecit utrumque unum: tamen in illo loco non de sua praesidentia loquutum Christum: sed de substituendo in ecclesia sua primatu, non solum sancti

testantur, et christianus orbis consentit: sed etiam ipse contextus  
 litterae aperte videtur ostendere: neque enim admodum belle quadrare  
 videtur sensus: quem assignas ipse: tamquam Christus ita  
 loqueretur. Tu es petrus, et ideo ego aedificabo ecclesiam meam  
 5 super me ipsum.

AT non est, inquis, nisi unus sensus: ergo si meus est verus: falsus  
 est Catharini. Ipse non negas alium interdum esse mysterii sensum,  
 alium litterae: quem tu solum dicis efficacem ad probandum. Hunc  
 10 igitur sensum assentientibus interpretibus plerisque omnibus,  
 Catharinus asserit sibi, tibi concedit mysticum: qui nihil praeiudicat  
 litterae. Sed hic rursus oblateras, et clamare non desinis.

Tu Catharine non negas meam disputationem  
 esse in aliquo sensu veram: ergo  
 tua est falsa. Nam si aliquid est verum quod ego dico: totum est  
 15 falsum quod dicis tu. Nam aut mea funditus et in totum nega aut tua  
 funditus inania esse concedas.

QUAM aequam legem offers Luthere. An non apud Vergilium,  
 aliquid veri dixit et Synon? et tamen magno stetit Troianis qui  
 20 veris illecti crediderunt assitis mendaciis. Nihil ne contra te dicit, nisi  
 qui tua omnia funditus et in totum sustulerit? Ergo si tuis mendacissimis  
 dogmatis intermisceas apostolorum symbolum: aut negandum  
 est, quicquid illi dicunt veri: aut simul concedendum quicquid ipse  
 mentiris. O acumen Lutheranum.

SED ILLUD videlicet est inevitabile telum, et gladius fortunatus:  
 25 quo Catharinum confodias: quod etiam si Petrus ecclesiae primas  
 institutus fuerit: papa tamen non possit primas esse, nec Petro  
 succedere possit in officio: nisi qui Petro succedit in moribus. Hic  
 regnas, rides, gestis, illudis, et omissis omnibus sanctis viris: qui in  
 sacrosancta sede praesiderunt, velut corvus et vultur, sola involas ac  
 30 depascis putrida: nisi quod non raro sanctissimos quosque velut  
 rabidus canis arrodas, et dente tabifico, mel ipsum et antidotum, tibi  
 vertis in venenum. Sed altum interim tibi silentium est, de illis  
 omnibus: quae tibi ad illa responderat ante Catharinus: qui tibi  
 probavit evidentissime sic seiunctam esse causam hominis, et officii,

morum et magistratus: virtutis, et potestatis: ut malis etiam et  
 flagitiosis viris quamvis tollatur in caelo vita: quam deus despondit  
 virtutibus, in terra tamen non tollatur auctoritas quam deus coniunxit  
 officio. Quamobrem Luthere si vir videri vis, abeas oportet  
 5 prius atque ad illa respondeas Catharino: cui postquam non more  
 simii gesticulis et nugamentis, sed quod hominem decet solida ratione  
 responderis: tum demum redeas licet ac rideas ad Calendas graecas.  
 Interim profecto insanus, et Aiacis risu furiosior est iste risus tuus:  
 quo tacitis, et dissimulatis adversarii rationibus, tamquam nihil  
 10 audires, nihil respondes: sed nugaris tantum ac velut amens, et  
 insanus irrides, et mirifice te facetum putas dum in id iocaris, nugaris,  
 scurrarisque: quod si Petrus dici posset petra: qui sanctus erat ac  
 pius, aliquis ita desiperet ut petrae nomen putet in papam quempiam  
 15 posse competere: qui Petri non respondeat virtutibus. O perplexum  
 nodum, et explicatu difficilem. Quum Christus, Petrum propter fidei  
 suae firmitatem, tamquam petram aliquam sibi substitueret ecclesiae  
 suae caput, et primatem, non qui immortalis esset: ut aeternum  
 potiri posset officio: sed in quod per vices multi succederent, nec  
 20 omnes aequalis meriti etiam si petrae nomen in illos non quadraret,  
 an ideo non est eadem potestas officii? Quid si sic dixisset Christus?  
 Ego te Petre bonum et sanctum virum ob egregias virtutes tuas,  
 ecclesiae meae primum praeficio: ut tu sis exemplo cuiusmodi velim  
 tibi successores suffici: certe si successor eius aliquis esset talis: de quo  
 25 neque boni neque sancti nomen posset praedicari: tamen eadem esset  
 auctoritas in officio: nisi nemo fuit sacerdos in Israel post Moisen, et  
 Araonem: nisi qui utrumvis eorum aequipararit sanctimonia: aut  
 nisi nemo sit episcopus: qui non sit omnino talis: qualem describit  
 apostolus: certe Paulus ipse detulit episcopo etiam impio, et Caiphae  
 30 scribit evangelista, et impio, et ignoranti, prophetiae datum spiritum,  
 propter episcopatus officium. Quin Christus ipse quum pronunciat  
 scribas et phariseos, viros nimirum et impios et improbos: qui aliorum  
 humeris graves imponerent sarcinas: quas ipsi digito suo nolebant  
 attingere: sed interea supine vivebant et male: Christus tamen, ut

dixi propter officium iussit illis obtemperare populum.

QUAM validum et illud: quod tibi  
videtur absurdum: ut petrae vocabulum.  
qui significabat pium, in eum aliquando  
5 competeret: qui sit impius. Opto tibi mentem, vel tantisper sanam,  
dum possis perpendere eam rem quam ridicule derideas. Nam  
quaeso te Luthere, petrae nomen sanctius ne censes esse quam  
Christi? At Christi vocabulum etiam in malum competebat, et  
reprobum: nisi Luthero sit ridiculus David: qui de Saul dixit peccavi  
10 tangens Christum domini.

MIROR Luthere tibi, qui solus videri vis legisse scripturas, adeo  
videri novum: si quod figuratum vocabulum diversis interdum rebus  
competat. Rogo te an non gigantes in scriptura sacra, velut superbi  
et violenti vitio dantur: et tamen Christus ipse gigas dicitur? Quid  
15 serpens, quoties in scriptura designat diabolum? An non idem exaltatus  
in deserto, figurabat Christum: etiam si non nesciam cuidam et  
ex doctissima et sanctissima classe theologorum, videri serpentem,  
ibi quoque designare diabolum: quod in Christi crucem sublatus,  
affixus et mortuus venenum et nocendi vires amiserit. Sed mihi  
20 fortius est: quod ad se figuram Christus traxit ipse: quum dixit:  
Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto:  
sic exaltari oportet filium hominis: Iam  
illud opinor non est ambiguum, leonis  
vocabulum non semel in scripturis inditum esse diabolo: et tamen  
25 nihilo minus de Christo dicitur. Vicit leo de tribu Iuda. Electus et  
apostolus an non sancta sunt nomina: et tamen utrumque competebat  
in fratrem tuum Iudam, etiam tum cum in eum competebat nomen  
diaboli: ut videas quam argutus sis: qui disputes absurdum esse: ut  
aliquid petra dicatur nisi sanctum: quum videas Christum  
30 dici: qui non sit sanctus, et apostolum dici: qui sit diabolus: et idem  
vocabulum et deo datum et daemioni: et eiusdem animalis figura sit  
designatus et servator et Sathanas. I nunc Luthere, et gloriare cum  
tuis: quod de primatu pontificis, Ambrosio Catharino fortiter et  
festive respondeas.

MIHI lector non erat propositum hoc in loco, de pontificis quicquam  
 potestate tangere: nec tam huc illexit me libido docendi: quam  
 similis semper sit Lutherus sui: quam pertraxit invitum confusanea  
 viri tractatio: qua sic intricavit ecclesiae quaestionem, cum quaestione  
 5 pontificis: ut ii respondere de altero non potuerim: nisi aliquid  
 de utroque attingerem. At de ecclesia, quae nam sit hic in terris,  
 quum vel maxime res tractari postulet, non erat consilium eorum  
 quicquam intactum praeterire: quae Lutherum senseram, nec sine  
 Theseo ea de re tam acute tractasse: ut nullo usquam loco aut saepius  
 10 gloriatur aut impudentius. Nam et hoc quoque habet perpetuum: ut  
 semper gloriosissime triumphet verbis: ubi re ipsa turpissime se  
 victum videt. De ecclesia igitur tractaturus abstinere voluissem  
 libenter, non solum a causa pontificis, sed etiam a quovis alio Lutheri  
 dogmate, quatinus pateretur praesens argumentum: quo non aliud,  
 15 quam eas nugae eius desumpsi refellere: quas in istum congescit  
 librum: quo nebulo respondet principi. Nam scelerata eius dogmata,  
 apud aequos ac bonos viros, satis se  
 refellunt ipsa, et a multis eruditissimis  
 20 viris abunde confutata sunt, A Prierate,  
 Catharino, Eccio, Gaspere, Cocleo, Empsero, placentino Radino,  
 Fabro, multisque itidem aliis: quos partim audio,  
 partim video, solidis et veris rationibus hominis amentiam pulcherrime  
 traduxisse. Cuius assertiones, ita retexuit ac revicit reverendus  
 25 pater Ioannes Fyscherus, episcopus Roffensis, vir eruditionis  
 ubertate clarus et vitae puritate clarissimus: ut, si quid est frontis  
 Luthero: magno iam sit empturus, assertiones suas olim iam combustas  
 a se: immo vel secum quoque: potius, quam cum tanta et tam  
 aeterna infamia sua, monstruosum fetum suum et spurcum Erycthomim  
 30 conspiceret christianus orbis. Certe quod ad pontificis  
 primatum pertinet, ita rem dilucidam  
 reddidit idem reverendus episcopus, ex  
 evangeliiis et actis apostolorum, et toto corpore veteris testamenti, et  
 omnium consensu sanctorum patrum, non latinorum modo, sed quos

maxime repugnasse iactare solet Lutherus etiam graecorum, postremo  
 generalis definitione concilii victis, et victos se fatentibus, qui  
 pertinacissime tum restiterant, armenis et graecis: ut frustra mihi  
 facturus viderer, et rem actam acturus: si de pontificis primatu  
 5 scribere, de integro rursus ordire. Cui sedi ut obedenter obtemperem  
 cum illa movent omnia: quae docti sanctique in eam rem collegerunt:  
 tum illud profecto non movet minime: quod toties sumus  
 experti, non modo neminem inimicum fuisse christianae fidei: qui  
 non illi sedi bellum simul indixerit: sed etiam neminem unquam  
 10 exstitisse qui se professus sit eius sedis  
 inimicum: quin idem paulo post se  
 declararit insigniter, Christique, et religionis  
 nostrae capitaliter hostem, et proditorem  
 esse. Valde me movet et illud quod si ad istum modum  
 15 hominum vitia imputentur officiis, non modo non consistet papatus,  
 sed et regnum, et dictatura, et consulatus, et omnis omnino  
 magistratus corruet et erit populus absque rectore, sine lege, et  
 ordine. Quae res, si aliquando contingat, id quod aliquot Germaniae  
 locis videtur imminere, tum demum magno cum damno sentient,  
 20 quanto magis intersit mortalium, vel malos habere rectores, quam  
 nullos. Certe quod ad papam pertinet quid mali fuerit caruisse novit  
 deus: qui eum suae praefecit ecclesiae: nec optandum puto ut res  
 christiana periculo perdiscat. Quanto magis optandum: ut tales deus  
 faciat esse pontifices quales e re christiana et apostolici muneris  
 25 dignitate fuerit, ut sua sponte contemptis  
 divitiis et terrenis honoribus toti caelum  
 spirent, pietatem in populo promoveant,  
 pacem procurent, et auctoritatem quam acceperunt a deo adversus  
 mundi satrapas et robustos venatores exercent, diris omnibus  
 30 persequentes et tradentes Sathanae: si quis aut alienam dicionem  
 invadat, aut male tractet suam, brevi sentiret christianus orbis, ab  
 uno aut altero tali pontifice, quanto fuerit satius emendari papas:

quam auferri. Nec dubium est, quin iam olim pastorem sui gregis respexisset Christus: si christianus populus salutem patris potius precari, quam persequi, et nuditatem patris tegere, quam pudenda ridere maluisset. Sed non deseret Luthere vicarium suum deus.

5 Respiciet aliquando: et nunc fortasse respicit: quum patrem, dolore quem patitur a perditissimo filio, flagellat. Nam plane, te Luthere puto flagellum dei esse, magno sedis illius bono, magno cum malo tuo. Faciet enim deus, quod pia mater solet: quae quum verberarit filium, lacrimas eius abstergit: et quo puerum placet, perosam

10 virgam, protinus in ignem abicit. Sed omissio papatu, quem nisi Lutherus immiscuisset ecclesiae, non fueram hoc loco tacturus, veniamus nunc ad Lutheri machinam illam totam qua se gloriatur ecclesiam Christi funditus evertisse et qua Catharinum iactat impietatis et haereseos demonstrative convictum: sed eo in

15 loco videbis Lutherum lector: qui multis in locis aliis impium sese demonstravit, ac stolidum, sedulo navasse operam: ne id usquam alias videretur demonstrasse manifestius. Itaque hunc in modum scribit.

20 Christus, quod Catharinus fatetur, Primo de petra et ecclesia, Secundo fatebitur, quod Christus promittat portas inferi, non praevalituras adversus eam. Clara ne sunt haec Catharine? Non enim bestia, sed Christus ea dicit. Stet ergo, portas inferi non praevalere adversus, neque

25 petram neque ecclesiam. Portae autem inferi tunc praevalent: quando in peccatum perpellunt. Aut dic tu quid sit portas inferi praevalere aliud. Sicut econtra. Edificari super petram, est in gratia et bonis operibus crescere, ut dicere possis, hoc esse portas Sion praevalere. Sic. I. Pet. ii. dicit. Vos tamquam lapides vivi supraedificamini

30 domus spiritualis. Et Ephe. ii. In quo et vos coaedificamini, in habitaculum dei in spiritu sancto. Et ne mihi elabaris. Esto, fidem informem habeat, Papa, vel petra tua, vel ecclesia tua: nihilominus, si in caritate non fuerit: sub potestate diaboli, et portis inferi fuerit, Quia Ro. viii. dicit. Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et Matth. vii. Qui fide informi fuerant, et miracula



fecerant, et recte docuerant audiunt sibi dici: Discite a me omnes  
 operarii iniquitatis. Obsecro te Catharine homo Itale, Tomista,  
 digneris hic, bestiam parumper audire. Concedere cogo te per haec  
 dicta, eum qui sine caritate est sub diabolo esse, et ad Christum non  
 5 pertinere, ac per haec portas inferi in eum praevaluisse et dominari,  
 tamquam in servum peccati. Sicut Christus dicit Ioannis. viii. Qui  
 facit peccatum servus est peccati. Sunt ne etiam haec satis  
 clara? An hic Origene, Chrysostomo, aut etiam toto patrum Catalogo  
 opus est? Ultimo id quoque concedis, papam quem tu petram vocas,  
 10 et aedificatos super hanc petram, ii subiectos visibili administratione  
 ecclesiam appellas, aliquando peccare et peccasse. Nonne concedis?  
 Immo si verum fateri voles, non est sceleratior gens in terra: quam ea,  
 quae papae hodie pertinacissime adhaeret: et qui maxime super eum  
 sunt aedificati: ac per hoc portis inferi subiecti, et omnium scelerum  
 15 servi. Responde nunc. Ubi est tua verbosissima farrago, totius huius  
 disputationis? da ecclesiam illam, da petram in quam non praevalent  
 portae inferi. Quin das? Audin Catharine? Non papam dabis, scio,  
 neque papistas. Quam ergo dabis? Nullam externam ecclesiam,  
 20 nedum Romanam. Quia hanc solam dabis, si Christum audis, quae  
 sine peccato est domina scilicet portarum inferi. Quamcumque enim  
 dederis, incertum est, an sit in peccato et sub portis inferi. Si Romam  
 dederis ipsamet testabitur se esse scelerum lernam. Concludo ergo  
 adversus te, demonstrative convictum verbum Christi Matth. xvi. ad  
 25 nullam personam pertinere, sed ad solam ecclesiam in spiritu aedificatam  
 super petram Christum: non super papam, nec super Romanam  
 ecclesiam. Quam cito enim non dederis papam sanctum, tam cito non  
 dedisti petram neque ecclesiam, sed  
 sentinam peccati, et Sathanae synagogam.  
 Cum autem etiam Sanctus Petrus  
 30 si praesens esset non possit sciri an  
 sanctus esset, et permaneret sine peccato, ideo necesse est, nec ipsum  
 esse petram sed solum Christum, quem solum sine peccato esse et  
 permanere certissimum est, et cum eo ecclesiam suam sanctam in  
 spiritu. Revertamur ad conditionis pactum. Uno ego te Catharine hoc

errore comprehendi, et indissolubili  
 vinculo constrinxi, quare te haereticum  
 proclamo convictum, et cum tanto libro  
 condemnatum et maledictum. Habes  
 5 quod hic mutias, Catharine? Surge homo Tomista, et contere bestiam  
 hanc maledictam: quae tam subito ad universa tua portenta, non  
 solum respondit: sed etiam ea ad nihilum redegit.  
 Igitur sicut petra ista, sine peccato invisibilis et spiritualis est, sola fide  
 perceptibilis: ita necesse est ecclesiam sine peccato invisibilem et  
 10 spirituales, sola fide perceptibilem esse: Oportet enim fundamentum  
 esse cum aedificio eiusdem conditionis sicut dicimus. Credo ecclesiam  
 sanctam catholicam, at fides est rerum non apparentium. Quare hoc  
 verbum. Matthei. Tu es Petrus, perdis diapason a papatu, et visibili  
 ecclesia eius distat, immo eam funditus subvertit et synagogam  
 15 Sathanae facit. Uterius si per petram papa, et per ecclesiam aedificatam,  
 intellexeretur obediens papae congregatio, sequitur papam  
 non esse papam, nec ecclesiam esse ecclesiam. Quod evidenter probo  
 sic. Quia petra et ecclesia sine peccatis esse debent, non subiectae  
 portis inferi. At cum nullus in mundo possit esse talis, certo et infallibiliter,  
 20 et tamen certa debet esse petra  
 certaue ecclesia sequitur nullum esse  
 papam nec ecclesiam. Cum ergo haec  
 Christi auctoritas repugnet papae et ecclesiae papisticae: manifeste  
 patet, Catharini et sui Thomae et omnium quos inducit opinionem  
 25 esse extreme haereticam. Quia haereticus est: qui scripturas sanctas  
 alio sensu quam spiritus flagitat exponit, at Catharinus non modo id  
 facit, cum Thoma suo haeretico, sed  
 etiam blasphemum sensum eis tribuit  
 appellans petram hominem peccati,  
 30 diaboli servum.

EN lector vere maledictam bestiam: de qua dicitur Apocalypseos.  
 xiii. Quis similis bestiae, et quis poterit pugnare cum ea. Et, datum  
 est ei os loquens magna, et blasphemias. Et aperuit os suum in  
 35 blasphemias ad deum blasphemare nomen eius, et tabernaculum  
 eius, et eos qui in caelo habitant. Sed veniet tempus quum bestia  
 mittetur in stagnum ignis ardentis, et sulphuris. Interea bene habet:

quod providit deus: ut haec tam invicta et maledicta bestia, semper  
 pugnaret secum. Nam quae fatetur ecclesiam esse certam: sic tamen  
 tractat: ut reddat incertissimam: et quae non contenta est  
 humano more sentire, dum sectatur et ostentat abstrusam quandam  
 5 ac reconditam sapientiam: crassam istam,  
 et vulgo notam ecclesiam traducit ad  
 invisibilem, ab externa ad internam, ab interna prorsus deducit ad  
 nullam: id quod statim videbis manifestum. Sed primum Luthere, ut  
 tecum ad initium redeam, ex quo praeclaros istos syllogismos  
 10 deducis, quum Christus promittit portas inferi non praevalituras  
 adversus ecclesiam, quid si quis neget hoc eum promittere, quod tu  
 tibi velut manifestum sumis, nempe diabolum non futurum tam  
 potentem: ut ecclesiam percellere possit in peccatum? Sed dicamus  
 15 proba nobis istud Luthere: quid aliud respondebis: quam ut vicissim  
 quaeras a nobis quid significare possit aliud? Nam si aliud significare  
 potest, interea nihil dixisti: quoad ratione aut scripturis ostenderis  
 interpretationem tuam esse veriore. Dico igitur primum, portas  
 inferi non significare diabolum: neque enim idem esse portas domus,  
 20 quod dominum: et portas inferi quod daemonem. Aliud igitur  
 quippiam hoc figurato sermone sensisse Christum: et licet hoc verum  
 sit, quod neque adversus Petri fidem neque Petro datam solvendi  
 ligandique perpetua successione propagatam potestatem, diabolus  
 praevalebit: atque id Christus alibi sit non uno loco pollicitus: tamen  
 hoc in loco ubi non Sathanam nominat, non inferos, sed portas inferi:  
 25 non tam probabile sit eum dixisse de diabolo: quam de quopiam alio  
 adversus ecclesiam suam, non praevalituro: neque enim daemonem  
 magis dixerim inferi portas esse quam viam. Quod si quaeras, quid  
 aliud esse possit inferi porta, quam Sathan: duas tibi non ex commento  
 meo, sed ex veterum interpretatione depromam.  
 30 Alteram praesides et tyrannos  
 mundi: qui nascentem persequantur  
 ecclesiam: nec praevalere tamen adversus  
 eam. Alteram portam esse dico, te tuique similes, si quis umquam  
 similis tui fuit, haereticos et antichristos: qui inter triticum unanimis

et concordis fidei, non desinunt seminare zizania sectarum et schismatum:  
nec solum dividere student inconsutilem Christi tunicam:

150

5 sed et nomen eius fidemque, subdole per cuniculos evertere. Nam et  
per haereticos, miseri quos decipitis velut per apertas et patulas  
inferorum portas ingrediuntur ad inferos. Sed tamen stabit verbum  
Christi. Quantumvis impugnetis ecclesiam, non praevaleritis  
adversus eam. Restabit frementibus et frementibus vobis ecclesia  
Christi.

10 VIDES hic bone vir, praeclaram istam demonstrationem tuam,  
nihil demonstrare nisi demostres prius in isto loco, Christum per  
inferi portas designasse diabolum: quas veteres interpretati sunt illos  
corporales ecclesiae persecutores tyrannos: et vos spirituales  
impugnatores haereticos. Sed nunc ut demus tibi, portas inferi  
15 significare diabolum adhuc liceret negare id quod ais portas inferi  
praevalere, eo in loco pertinere quicquam ad peccatum: sed id  
promisisse Christum, nullas diaboli machinas satis valentes fore: ut  
fidem ecclesiae, cui Petrum praeficiebat, exstinguerent: aut ipsius  
auctoritatem ac potestatem ligandi solvendique possent infringere:  
20 sicut adhuc usu venisse videmus. Atque istud, quum verius vero sit:  
tamen ut multis modis videas quam nihil omnino dicas, quum tibi  
videris dixisse bellissime, demus adhuc tibi, si voles, non solum  
portas inferi significare diabolum: sed eam rem, ad peccatum totam  
pertinere: negabo tamen etiam sic, in illo Christi verbo, hoc esse  
praevalere: quod tu interpretaris: videlicet ut praevalere sit, in  
25 peccatum quomodocumque percellere. Neque enim praevaluit inferi  
porta contra quemlibet: quem diabolus deiecit: sed adversus eum  
dumtaxat praevaleret: qui tandem sic deicitur: ut non resurgat in  
pugnam. Nam nec in duello victus dicitur qui prostratus in terram  
rebellat tamen: et in pugnam conatur assurgere. Quid, quod hoc  
30 ipsum videtur portae nomen ostendere: nisi quis otiose, positam  
putet. Nam quum portae sit officium duplex: ut vel intrare conantes  
excludat, vel inclusos coerceat: et non patiat exire: nec inferi portae  
quemquam excludant, nam volentibus intrare. Noctes atque dies

patet atri ianua ditis. Sed revocare gradum, superasque evadere ad  
 auras, hoc opus, hic labor est, patet profecto quod non adversus  
 quemlibet quem daemon pellexit, praevalent portae inferi: sed dumtaxat  
 adversus eum: quem sic tenet inclusum: ut numquam possit  
 5 erumpere. Nam qui se proripuit foras, praevaluit adversus portas.  
 Itaque non praevalere portas inferi adversus quemlibet, quem adicit  
 in peccatum, vel illud indicat: quod septies in die cadit etiam iustus.  
 Manifestum est igitur adversus nullum praevalere portas inferi,  
 praeterquam adversus eum, quem sic incluserint, ut numquam possit  
 10 exire: quod, quum nemini contingat in hac vita, patet illud Christi  
 verbum non obsistere: quo minus et peccatores in hac vita possint esse  
 de ecclesia. En bone vir praeclaram demonstrationem tuam. Cuius  
 nulla pars quicquam demonstrat aliud quam stolidam et scurrilem  
 impietatem tuam.

15 NAM, et ostendi nunc istorum verborum interpretationem,  
 veterum sanctorum sententiis et scripturis ipsis consentaneam: quae  
 plane refellit et confutat tuam. Nunc illud addam: quod si faterentur  
 etiam quicumque legerunt umquam sacras litteras, non satis intellegere  
 se quid sibi voluerit Christus in eo, quod dixit inferi portas adversus  
 20 ecclesiam suam non praevalituras: nemo tamen possit nescire sensum  
 quem affers ipse falsissimum esse, et doctrinae Christi  
 repugnantissimum.

QUAESO te candide lector, istud considera (ut ab isto nebulone  
 revertar ad te) quod Lutherus non hoc solum dicit neminem esse de  
 25 ecclesia, quamdiu est in peccato: qui si tantum istud diceret, et falsum  
 diceret et impium, sed multo dicit impudentius et magis impie: quod  
 qui est de ecclesia non peccat: immo nec peccare potest. Ait enim portas  
 inferi non praevalituras, idem esse quod in peccatum non posse  
 percellere: ex quo plane sequitur: quod qui semel sint de ecclesia:  
 30 numquam possint in peccatum percelli: et qui in peccatum perpulsi  
 sunt eos numquam fuisse de ecclesia. Et, ne quid dubites eum istud  
 plane sentire, non aliud omnino dicunt celebres ille collectiones:  
 quibus hoc pacto lutulente syllogisat sus.

35 Nullum cedens portis inferi, est ecclesia  
 supra petram aedificata: sed secta paparum,  
 cedit portis inferi: ergo secta paparum non est ecclesia.

CEDERE portis inferi, nihil appellat aliud: quam peccare: quod alio declarat syllogismo sic.

154

5 Omnis ecclesia peccans cedit portis inferi:  
sed ecclesia papistarum peccat: ergo  
ecclesia papistarum cedit portis inferi.

10 VIDES hic lector, eum manifeste dicere: quod ecclesia quae peccat non est ecclesia Christi: neque de peccato quicquam distinguit: sed ponit simplicissime, adversus eum praevalere portas inferi: quem in quodcumque peccatum perpulerint: quod quum dicat, manifeste ponit, omne peccatum esse mortale: et eos qui sunt de ecclesia, in nullum omnino peccatum posse percelli: et qui percelluntur, de ecclesia non fuisse etiam antequam percellerentur, de qua eius sententia, si quis adhuc dubitet, expendat et istud quod ait.

15 Quam cito enim non dederis papam  
sanctum, tam cito non dedisti petram,  
neque ecclesiam, sed sentinam peccati et Sathanæ synagogam.

20 EN interim severitatem censoris huius: apud quem non satis est, aliquem mediocribus esse virtutibus: sed aut omnino sanctum, aut omnino Sathanam, quales hic syllogismos offert occasionem hoc in loco colligendi de se, quem, quum non admodum sit difficile probare, non esse sanctum: ipse iam absolvit et conclusit reliquum, peccati se esse, et sedem Sathanæ. Sed relinquamus eius sanctitatem in sentina Sathanæ, tu lector expende quod sequitur.

25 Etiam sanctus Petrus si praesens esset  
quia non posset sciri an sanctus esset et  
permaneret sine peccato ideo necesse est nec ipsum esse petram.

QUOD de petra dicit Lutherus idem dicit et de ecclesia eiusdem ait conditionis esse oportere petram et ecclesiam fundamentum et aedificium.

30 Sicut petra ista nempe Christus sine peccato est et ita necesse est et ecclesiam sine peccato esse: oportet enim fundamentum esse cum aedificio eiusdem conditionis.

5           Necesse est solum Christum esse petram  
               quem solum sine peccato esse et  
               permanere certissimum est et cum eo ecclesiam suam sanctam in  
               spiritu.

10           QUID illam? nempe esse et permanere sanctam certissimum est:  
               quae est eiusdem conditionis cum sua petra: et ideo certum esse  
               contendit, illam et esse sanctam et permanere: quaecumque sit illa:  
               sed non esse certum de ullo homine utrum sit de illa. Et ideo manifeste  
               vides ex his locis et ex eo quod ait, eos qui de ecclesia sunt non  
               posse percelli in peccatum: Lutherum aperte ponere non aliter esse  
               christianos de ecclesia: quam si non solum sancti sint verum etiam  
               sancti permansuri sint: nam alioqui ne interea quidem dum sancti  
               sunt esse ecclesiam. Nam si sanctus petrus adhuc viveret: incertum  
               15           esset an esset petra: non tantum quia incertum esset, an sanctus esset:  
               sed etiam quia incertum esset an sanctus permansurus esset.

20           QUAESO te lector, quum istud dicit quam ecclesiam relinquit in  
               terris? An non omnem tollit funditus, et externam et internam, visibilem  
               et invisibilem, spiritualem et carnalem? Nam quis est usquam  
               qui non peccat? quis tam spiritualis est: ut in eo nihil delinquat  
               infirmetas carnis? quis tantum habet divini spiritus: ut eum numquam  
               quoquam perpellat diabolus? An non omnes peccavimus et egemus  
               gratia dei? An non si dixerimus quod peccatum non habemus veritas  
               in nobis non est? Iam istud miror: quo fugit interim celebre illud  
               25           dogma Lutheri: quod iustus etiam benefaciendo peccat. Nisi hoc  
               verum est: et illud item: quod tam diu tanto conatu defendit: Omne  
               opus bonum peccatum esse: sequitur certe: ut aut nulla sit omnino  
               ecclesia in terris: aut usque adeo falsum esse, quod dicit eam  
               non peccare: ut contra sit necessarium eam et peccare totam et  
               30           peccare perpetuo. Nam cum alio dogmate tollat actus omnes indifferentes:  
               quicquid faciat quisquis est de ecclesia, bonum opus faciat  
               oportet aut malum. In opere malo quin peccet non est dubium: quod  
               si peccat etiam in omni opere bono: quis non videt consequi necessario:  
               neminem esse in ecclesia qui non peccet perpetuo? tantum

abesse ut qui sint ecclesia non cedant portis inferi, si portis inferi cedere sit, id quod dicit iste, nihil aliud quam quomodocumque peccare. Sic enim nemo non cedit.

5 SED propemodum divino quid velit. Vult opinor omnino omne opus bonum peccatum esse: quia potest esse occasio superbiae: et contra omne opus malum virtutem esse: quia sit occasio humilitatis: et quum quodcumque malum fiat a fidelibus, fidelibus inquam fide non in formi sicut est papistica: sed fide formata secundum formam quam docet Lutherus, hoc est fidendo firmiter: quod nullum  
10 peccatum potest damnare christianum praeter incredulitatem solam: tunc illud malum qualecumque sit, si stet aut redeat fides absorbetur in fide sine satisfactione, sine contritione, sine confessione: nisi si quis (ut ait ille) consolationis causa confiteri velit mulieribus. Nam et has etiam sacerdotes nobis consecrat Lutherus. Lutherus igitur omnia bona  
15 opera sunt peccata: et tamen ecclesiae suae nulla sunt peccata nam non solum non imputantur sed etiam donantur premio. Nam iustis omnia cooperantur in bonum: et ideo papistarum bona opera vigiliae, eleemosynae, orationes, castitas, ieiunia atque id genus alia nihil aliud sunt quam mera peccata propter infirmam fidem: qua non  
20 confidunt solam fidem sine bonis operibus sufficere sed Lutheristarum opera mala ebrietas, adulterium, rapina, blasphemia, et denique totus huiusmodi malorum catalogus propter eorum fidem firmam qua confidunt firmiter solam fidem sufficere, et bonis operibus nihil opus esse, nihil sunt aliud: quam virtutes merae. Nihil  
25 igitur opus est ecclesiae Lutheranae: ut pro peccatis suis precentur: non enim peccant. Sed ecclesia Christi, quam Lutherus disputat peccare non posse, docetur ab ipso Christo peccata sua precibus expianda: Clamatque quotidie, dimitte nobis debita nostra.

IAM si Lutherus diceret, ex hac promiscua multitudine christianorum,  
30 qui subinde peccant, et subinde a peccato resurgunt, eos dumtaxat esse ecclesiam, non qui numquam peccant (nam tales nulli sunt) sed qui sunt extra peccatum, etiam si et peccarint saepe et saepe peccaturi sint, et eosdem homines in hac vita, mutatione crebra, nunc esse de ecclesia, nunc de ecclesia non esse, suo peccato etiam quantulocumque  
35 deiecti, quamquam nulla humana denuntiatione depellantur,



adhuc absurde diceret. Nam nos, quum quaerimus, quae sit illa  
ecclesia: cuius auctoritate fatetur Lutherus commendatam nobis esse  
scripturam sacram, an dumtaxat illos dicet qui sunt extra peccatum?  
Nam his, qui in peccato sunt, nihil esse credendum: tantisper enim,  
5 non esse de ecclesia. Hac ratione, eidem homini eadem de re crederemus  
hodie, cras non crederemus, crederemus in aurora, non crederemus  
vesperi. Immo adeo nemini crederemus omnino: neque enim  
scire possemus de aliis, quis esset in peccato, quis extra, quum nemo  
de se ipso satis sciat, utrum sit odio dignus an amore. Lutherus  
10 invehitur in episcopos: quod tam cito christianos excommunicent,  
quum ipse neminem non excommunicet citius, siquidem extra  
ecclesiam illico eiciat quemlibet: qui quoquo modo peccarit. Qua in  
re, quis non miretur Lutheri sententiam: quum Lutheri fratrem  
videat Iudam traditorem, etiam post conceptum, et perpetratum  
15 scelus, adhuc fuisse tamen de ecclesia: neque quoad vixit ex apostolatu  
depulsum: quamquam ipsius Christi voce diceretur esse diabolus.  
At Lutherus, vir aequissimus, non modo fratrem suum Iudam ab  
ecclesia depellit post peccatum: sed nec ipsum, nec sanctum Petrum  
admittit in ecclesiam, etiam antequam peccaret. Nam si ante fuissent  
20 de ecclesia, portae inferi non potuissent eos, ut disputat, in peccatum  
perpellere. Ergo si verum Lutherus dicit: ne tum quidem Petrus erat  
in ecclesia: quum ii dixit Christus beatus es Simon Bar Iona, et tu es  
Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Nam postea  
adversus eum praevaluerunt portae inferi, si praevalere est, quod  
25 Lutherus ait, in peccatum perpellere. Nam paulo post, Christo  
consuluit ne pateretur, et audivit ab illo. Vade retro me Sathana.  
Post et ter abnegavit dominum. Quare, si praevalent portae inferi  
adversus omnes qui peccant, nemo vero non peccat maxime, si  
verum sit dogma Lutheri, perspicuum est in terris ecclesiam omnino  
30 nullam esse.

SED opere pretium est videre: quam sibi tenuiter obiciat, quid  
sequeretur absurdi, si ecclesia nihil esset nisi quiddam spirituale, nec  
sciri posset ubi esset, quanto magis tenuiter illud solvat, quod sibi  
obicit ipse.

Dices autem. Si ecclesia tota est in spiritu, et res omnino spiritualis.

5 Nemo ergo nosse poterit, ubi sit ulla eius pars in toto orbe: quod vehementer absurdum est. Nam ideo papam asserimus: ut certo loco ecclesiam inveniri liceat. Alioquin, quid docet Christus oves pascere, et Paulus ecclesiam regere, et Petrus gregem Christi pascere: si nusquam in orbis certis poterunt locis inveniri habitantes, corporaliter fideles? Quis enim spiritibus praedicet, aut quis spiritus vobis praedicat. 10 Corpus ergo et locum necessario habebit ecclesia, deinde inter corpora et loca, aliquem primum locum et primum corpus.

AUDISTI lector, quam tenuiter obiciat sibi: quasi ideo tantum cognosci deberet ecclesia: ut sciri posset cui congregationi praedicetur evangelium: quum contra multo magis cognoscenda sit ecclesia: ut sciri possit a quo praedicetur evangelium: ut si alius aliud praedicet, 15 auctoritas ecclesiae certum faciat auditorem de vero evangelista: et reiciat falsum: sicut eius auctoritas, etiam fatente Luthero, certum facit lectorem quae sint verae scripturae sacrae. Nam, quod ille sibi tamquam ex nobis obicit, ideo ecclesiam cognosci debere: quo in loco possit reperiri: ut certa sit congregatio Christi: cui praedicari debeat 20 evangelium: istud nescio quis ii fuisset obiecturus nisi ipse: quum nemo tam stolidus sit praeter eum: quin intellegat verbum dei praedicandum esse, etiam extra ecclesiam Christi: et benefacturum, si quis illud praedicet infidelibus. Alioqui male fecissent apostoli: qui fidem sua praedicatione propagarunt apud gentes. Sed istud ipsum, 25 quum tam tenuiter obiciat, audi quanto adhuc magis tenuiter solvat.

Respondeo. Quamquam ecclesia in carne vivat: tamen non secundum carnem vivit, ut Paulus dicit Gal. i. et Corin. i. Ita in loco, rebus operibusque 30 mundi versatur: sed non secundum haec aestimatur. Christus

enim omnem locum tollit, dum dicit. Regnum dei non venit cum  
 observatione, neque dicent hic aut hic est. Et ecce, regnum dei intra  
 nos est. Paulus omne corpus tollit, dum dicit. Non est personarum  
 acceptio apud deum. Sicut enim ecclesia, sine esca et potu non est in  
 5 hac vita, et tamen regnum dei non est esca et potus secundum Paulum:  
 ita sine loco et corpore, non est ecclesia: et tamen corpus et locus, non  
 sunt ecclesia neque ad eam pertinent. Sicut ergo non est necesse,  
 certum panem, certum potum, certam vestem esse ecclesiae, et  
 fidelibus omnibus, licet sine pane, sine potu, sine veste non queant  
 10 vivere in hoc seculo. Sed omnia sunt libera, et indifferentia: ita, non  
 est necesse, certum locum, certamque personam habere, licet sine  
 loco personaque esse non queat. Sed omnia sunt indifferentia et  
 libera, omnis locus christiano quadrat, et nullus locus christiano  
 15 necessarius est, omnis persona pascere eum potest, et nulla certa  
 persona necessaria est quae pascat, libertas enim spiritus hic regnat:  
 quae facit omnia indifferentia, nulla necessaria quaecumque corporalia  
 et terrena sunt. Et quid hoc mirum? cum ad hoc ut sis, homo  
 corporaliter nullo loco certo, nulla certa persona indiges, sed omnibus  
 20 locis, omnibus personis homo esse potes. Immo quae res mundi  
 necessario alii adhaeret et alligatur: ac non potius libere, et indifferenter,  
 se quaelibet ad quamlibet habetur: ut libertate spiritus  
 plena appareat tota creatura, sicut canimus, Pleni sunt caeli et terra  
 gloria tua. Quis ergo furor papistarum impiissimorum, ut ecclesiam  
 25 dei, quae omnium maxime libera est, loco suo et personae suae certis  
 et necessariis alligent: ut christianum esse negent: qui non hunc  
 papam etiam impium, hoc loco habitantem adorarit. Nec iuvet  
 quemquam, si quemlibet pastorem indifferenter, quolibet loco  
 habuerit. Haec est illa abominatio stans in loco sancto et operatio  
 erroris. Sed de hoc alias.

30 QUAESO te lector quid umquam audisti tale. Nam ut omittam  
 scripturas, tam absurde citatas: ut nihil allegari  
 possit absurdius: nonne sic tractat hunc locum, quasi nos exigeremus:  
 ut sic assignetur ecclesiae certus locus: ut alio in loco ecclesia esse non  
 possit? At quaeso te, quis umquam sensit sic certum esse debere, quo  
 35 in loco reperiatur ecclesia: ut idem senserit aliquem esse locum: in  
 quo ecclesia non possit coalescere? quum contra potius credamus

aliquando fore: ut nullus in orbe locus sit: in quo ecclesia Christi non sit futura, quum tempus venerit in quo fiet unum ovile, et unus pastor. Deinde ita rem tractat pontificiam, tamquam hi qui papae primatum asserunt, sic illud sentiant: quod sit ecclesiae caput, 5 tamquam Romanus: non tamquam successor Petri: quum nemo nesciat eam sedem alias fuisse alibi. Et quamquam urbem Romam, velut locum totius orbis celeberrimum videtur delegisse deus: nemo tamen ex his qui sedis eius primatum asserunt, habet pro dubio: quin, quocumque transferatur Petri sedes: eodem etiam Petri transferatur auctoritas. At, nec istud quisquam dubitat, etiam si verum est nullum esse locum in toto orbe terrarum: in quo non possit esse congregatio fidelium: tamen oportere necessario aliquem esse locum: in quo ecclesia certa sit cognobilis et indubia. Alioqui, fore ut neque certum cuiquam sit, quae sint verae scripturae: neque scire possit: quo pedem tendat: qui adhuc infidelis, fide cupiat imbui, et dogmata christiana perdiscere.

SED iam opere pretium fuerit, scripturae loca perpendere: quae supra citavit pro se: tamquam ex his manifeste probaturus, ecclesiam in terra militantem, non esse cognitam, istam crassam et sensibilem: 20 sed aliam christianorum multitudinem quandam, nescio quam, insensilem et mathematicam, Platonis ideis cognatam: quae, et in loco sit, et in nullo loco sit, in carne sit, et extra carnem sit: quae tota sit obvoluta peccatis, et tamen omnino non peccet. Nam hic, utrumque pariter ponit: quum omne bonum opus asserit esse peccatum: et ecclesiam facit homines, qui non peccant. Sed iam 25 scripturas eius expendamus.

Paulus, inquit. Gal. i. et Corinth. i.  
dicit: quod, quamvis ecclesia in carne  
vivit: tamen non secundum carnem vivit.

30 ROGO te Luthere, an tu aliquando peccare vocas, secundum carnem vivere? Certe, quisquis sapit, dixerit, secundum carnem vivere, non illum qui dum obluctatur carni, et conatur servire spiritui,

tamen aliquando carni cedit, ac vincitur conditione fragilitatis  
 humanae: sed qui voluptatem quaerens  
 carni se servum dedit: et carnis  
 operibus dedicat vitam: hoc est Luthere secundum carnem vivere,  
 5 non aliquando peccare. Quamobrem, non secundum carnem vivit  
 ecclesia, etiam si nemo vivat sic, quin opus habeat assidue precari: ut  
 debita sua sibi remittantur. Et tamen sunt in ecclesia: qui secundum  
 carnem vivunt: non futuri, quum ecclesia vivet in caelo: quos  
 interim saepe monet, ac taxat apostolus. Apud Corinthios eiecit etiam:  
 10 qui novercam stupraverat, et recipit postea paenitentem. Et idem  
 tamen erat de ecclesia, post patratum facinus, quoad eum eiecit  
 apostolus.

IAM illud quam validum est, quod ais: Christus tollit omnem  
 locum, dum dicit. Regnum dei non venit cum observatione: neque  
 15 dicent: ecce hic est: aut ecce illic est. Saepe clamas, Catharinum  
 loqui in equivocis: et tamen derides distinctiones: ut tibi liberum sit  
 ludere in equivocis. Nam quid longius abest a  
 proposito: quam hic scripturae textus: qui loquitur de adventu  
 Christi ad iudicium? quando ecclesiam tollet in caelum: quum nobis  
 20 quaestio sit de ecclesia, quae iam peregrinatur in terris. Sed illud  
 quanto adhuc citas absurdus: Regnum dei intra vos est: quod haud  
 dubie dictum est de quolibet bono, et sincere christiano pectore:  
 intra quod non est opinor ecclesia: quae est congregatio fidelium.

SIMILIS est vigoris et illud, quod ais: Paulus tollit omne corpus  
 25 dum dicit: Non est personarum acceptio apud deum: quasi, quoniam  
 deus et ex iudaeis et graecis vocavit ecclesiam ad fidem, ideo deus nec  
 Petri personam praeposuit ecclesiae, nec ipsius Christi, et quia non  
 est acceptio personarum apud deum, ideo multitudo christianorum  
 non est ecclesia: et quia deus neminem accipit in caelum acceptione  
 30 personae, sed meriti: ideo nemo tenetur in terra suis obedire praepositis.  
 Lutherus initio cum scriberet, promisit se sua probaturum, aut

scripturis evidentibus, aut evidenti ratione, aut interpretatione  
 sanctorum patrum, aut decretis pontificum: postea eo furoris adactus  
 est: ut interpretationem sanctorum, tamquam fallacem, contemneret:  
 naturalem rationem, tamquam fidei et religioni adversariam,  
 5 sperneret: pontificum leges et decreta, quoniam ipsius haeresibus  
 adversabantur, exureret: nunc, ne nihil servare fateatur, iactat se solis  
 credere scripturis: et tamen inspice scripturarum textus: quos citat:  
 et expende loca: nec dubito, quin facile sentias, eum non magis cum  
 pontificum decretis, quam cum ipsis pugnare scripturis: nec magis  
 10 pugnare cum scripturis: quam pugnat cum sensu communi. Nam  
 quaeso te Luthere, qualis est haec ratio.

Si locus et persona necessaria sunt ad  
 salutem: tunc qui eiusmodi habent et  
 colunt, salvi et sancti sunt. Nam in his consequentia a particulari  
 15 optime valet, cum posterioristicis constet propositionibus: cogor enim  
 et meam dialecticam ostentare istis admirandis dialecticis. Impossibile  
 est enim, ut qui unum necessarium ad salutem habet, non etiam  
 omnia necessaria simul ad salutem habeat. Et impossibile est: ut qui  
 unum non habet, aliquod ad salutem necessarium habeat. Quod  
 20 facillimum est inductive probare. Sed de hoc alias.

CUM TU Luthere hoc alias aliter probabis, tum nos alias aliter  
 tibi respondebimus. Interea neminem esse puto, qui sapiat: quin te  
 plane videat desipere, nisi non satis sapiebat apostolus: nam is et  
 fidem putabat esse necessariam ad salutem, cum dixit: sine fide  
 25 impossibile est placere deo: et tamen idem non tecum sentit: quod qui  
 fidem haberet, quam necessariam dixit esse ad salutem: idem protinus  
 haberet caritatem: quam vel amplius fide ad salutem sensit  
 esse necessariam. Nam, si protinus habita fide, sensisset consequi  
 caritatem, cur istud scripsit? si fidem habeam, adeo ut montes loco  
 30 dimoveam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Sed istud  
 videlicet erat in re, quod in eo tempore natus nondum est Lutherus:  
 qui suam ostentaret dialecticam, et docere posset apostolum, talem  
 consequentiam a particulari valere, propterea quod, propositionibus  
 constet posterioristicis. Sed hoc alias.

QUONIAM igitur certum est, incertum esse qui sint boni: consequitur  
 ut haec multitudo quae facit ecclesiam catholicam: istam  
 dico, ex qua fides discitur, et scriptura discernitur,  
 sit multitudo promiscua profitentium Christi nomen et fidem, etiam  
 5 si professioni non respondeat vita. Iam istud lector, adeo verum est:  
 ut nec Lutherus, qui libenter dissimulat quicquid non potest solvere,  
 potuerit subterfugere. Fatetur enim, ecclesiam certam esse oportere. Sed  
 ne cogatur illud item fateri: quod verum est istam multitudinem esse  
 ecclesiam, quam nunc omnes noscimus, nomine christiani populi: qui  
 10 fere omnes agnoscunt primatum pontificis: vertit omnem lapidem, et  
 ecclesiae suae spiritualis, signa quaedam dat, per quae vult eam satis  
 certam reddi: quae signa omnia nec satis certam reddunt ecclesiam,  
 quam praescribit ille et competunt omnia in hanc ipsam, quam ille  
 veram negat: et vocat papisticam. Ita, bis stultus est: qui nec eo  
 15 pervenit, quo tantopere tendit: et in illud incidit: quod maxime  
 conatur effugere. Ait enim hoc pacto.

Si per petram papa, et per ecclesiam  
 aedificatam intellexeretur obediens papae  
 congregatio: sequitur papam non esse papam: nec ecclesiam  
 20 esse ecclesiam, quod evidenter probo sic: Sine peccatis esse debent,  
 non subiectae portis inferi. At quum nullus in mundo possit esse talis,  
 certo et infallibiliter: et tamen certa debet esse petra, certaue  
 ecclesia: sequitur nullum esse papam nec ecclesiam.

VIDES lector, ut hic fateatur, non solum petram sed ecclesiam  
 25 quoque certam esse oportere. Sed illud obiter quaeso te perpende  
 diligenter. An non hic manifeste colligit illud: quod si tam evidenter  
 verum esset: quam evidenter falsum est: non modo ecclesiam istam  
 quam impugnare nititur: sed quantum ad terram attinet, omnem  
 omnino tolleret. Nam pone Luthere, quamcumque velis, et eam, unica  
 30 ratione tua, bis probo nullam esse. Quod ut tuis verbis utar,  
 evidenter probo sic. Ecclesia sine peccatis esse debet, non subiecta  
 portis inferi. At quum nullus in mundo possit esse talis, certo et  
 ineffabiliter: et tamen certa debet esse ecclesia: sequitur igitur nullam  
 esse ecclesiam.

VIDES LUTHERE, QUOD HOC praeclarum argumentum  
 tuum, non magis adversarium tuum petit: quam te: immo illum nihil  
 petit: te vero perfodit penitus. Nam nos in tuto sumus: ut qui  
 negemus id necessarium esse: ut ecclesia, dum in terra militat: sit  
 5 absque peccato: sed tu qui sentis id oportere, et tamen fateris neminem  
 esse sine peccato: et praedicas etiam bona opera esse peccata: et  
 iustum benefaciendo peccare, tu inquam, etiam si non oporteret  
 ecclesiam esse certam: tamen aperte revinceris, omnem e terris  
 ecclesiam sustulisse: quod rursus ut verbis tuis utar evidenter probo sic.  
 10 Ecclesia debet esse sine peccato: sed nemo est sine peccato: ergo nulla  
 est ecclesia. Extrica tete Luthere, ex hac trica, qua tua te stoliditas  
 intricavit. Sed istud obiter: quum propositum mihi non aliud fuerit:  
 quam ut ostenderem etiam Lutherum fateri ecclesiam debere esse  
 certam. Igitur ad id revertor, ut ostendam per quae signa Lutherus  
 15 conetur efficere, ut certa videatur ecclesia illa interna spiritalis, et  
 occulta: quam solam definit ecclesiam. Scribit enim hunc in modum.

Quo ergo signo agnoscam ecclesiam:  
 oportet enim aliquod sensibile signum dari:  
 quo congregemur in unum ad audiendum verbum dei. Respondeo.  
 20 Signum necessarium est: quod et habemus, Baptisma, scilicet, panem,  
 et omnium potissimum evangelium. Tria haec sunt christianorum  
 symbola, tesserae, et characteres. Ubi enim baptisma et panem et  
 evangelium esse videris, quocumque loco, quibuscumque  
 personis, ibi ecclesiam esse, non dubites. In his enim signis,  
 25 vult nos Christus concordare, ut Ephe. iiii. dicit. Una fides, unum  
 baptisma, unus dominus. Ubi idem evangelium est, ibi eadem fides,  
 spes, eadem caritas, idem spiritus est: et revera omnia eadem. Haec  
 est unitas spiritus, non loci, non personae, non rerum, non corporum,  
 de qua servanda, Paulus nos praecepit esse sollicitos. Ubi vero  
 30 evangelium non esse videris (sicut in synagoga papistarum, et  
 Thomistarum videmus) ibi non dubites ecclesiam non esse, etiam si  
 baptizent et vescantur de altari: nisi parvulos et simplices exceperis:  
 sed Babylonem ibi esse scias, plenam lamiis pilosis, Ululis, onocrotalis,  
 aliisque monstris, id est magistris nostris eximiis refertam. Evangelium  
 35 enim prae pane, et baptismo, unicum certissimum et nobilissimum  
 ecclesiae symbolum est, cum per solum evangelium concipiatur,  
 formetur, alatur, generetur, educetur, pascatur, vestiatur, ornetur,



roboretur, armetur, servetur, breviter, tota vita et substantia  
 ecclesiae, est in verbo dei, sicut Christus dicit. In omni verbo quod  
 procedit de ore dei vivit homo. Non de evangelio scripto sed vocali  
 loquor. Nec de quavis contione, quae in templis de suggestu declamatur,  
 5 sed de germano et genuino verbo quod fidem Christi veram, non  
 informem, et Thomisticam doceat: quod per papam et papistas  
 extinctum et suffocatum, per orbem totum conticuit. Ideo enim,  
 Christus nihil tanta instantia exegit ab apostolis: quam ut evangelizarent.  
 Sic a Petro in persona omnium pastorum exegit: ut pasceret  
 10 oves: id est evangelium doceret, viva voce. Quod verbum Catharinus,  
 vere Catharinaliter, exponit, non de evangelio, iterum faciens e  
 simplici sensu verborum Christi, quotuplicem visum ii fuerit: quia  
 sciebat evangelizandi significationem quae sola in eo verbo est, non  
 posse convenire tot occupationibus mundi oppresso pontifici, ideo  
 15 fingenda fuit alia significatio, de regimine dominante, sicut. ii. Pet. ii.  
 Praedixit, et fictis verbis, in avaritia de vobis negotiabuntur: de qua  
 re nunc supersedeo, abunde alias tractata.

QUID ais lector, an non pulchre se nunc expedivit dominus  
 doctor? An non ecclesiam suam, dilucide certam reddidit? Pone  
 20 ecclesiam ex solis bonis constare, eam congregationem ait esse certam  
 his tribus signis, baptismo, pane, et evangelio: sed non illo scripto,  
 nam illud habent et papistae sed vocali, nec tamen quavis contione,  
 qualis in templis papistarum de suggestu declamatur: sed de  
 germano et genuino verbo loquitur, quod fidem Christi veram, non  
 25 informem et Thomisticam doceat: sed Lutheranam istam, videlicet  
 solam fidem sufficere sine bonis operibus: et quod nihil quemquam  
 damnare potest, praeter solam incredulitatem: quia omnia peccata  
 absorbentur a fide: et quod nullae leges obligant christianum quemquam:  
 et quod nulla sit libertas arbitrii: sed divina bonitas necessaria  
 30 causa sit humanae maliciae: et mille articulos huiusmodi: quos papa  
 et papistae per orbem totum, perperam conantur extinguere. Certe  
 tali praedicatione certa est ecclesia malignantium.

Verum initio, quem non miserae sortis nostrae miserescat? quos tu  
 velut margaritas et corebos irrides: et tuo lepidus arbitrato ludis. Dum  
 persuasisti tibi, papistam nullum, per stuporem posse potistae  
 repugnantias apertissimas deprehendere. Nam primum dicis, ob id  
 5 oportere certam esse ecclesiam: ut possit esse certum: ubi praedicari  
 debeat evangelium: nam dicis nec debere praedicari, nec posse  
 sonare, nisi in ecclesia: ex quo vides consequi, prius oportere  
 cognosci ecclesiam: quam praedicetur evangelium. Postea dicis,  
 10 signum per quod unicum, ecclesia certo cognoscitur, esse praedicationem  
 evangelii: nam reliqua signa, fateris esse etiam apud papistas:  
 apud quos negas esse ecclesiam: ex qua positione  
 tua sequitur, prius evangelium praedicari oportere: quam cognosci  
 possit ecclesia: quum ea praedicatio per te, sit unicum signum: per  
 quod ecclesia certo cognoscitur. Vides ergo pater prudentissime, qui  
 15 numquam tibi repugnas, quam constanter et circumspecte, duo sibi  
 invicem contraria conectes: videlicet et prius cognoscendam ecclesiam,  
 quam praedicetur evangelium: et prius praedicandum evangelium,  
 quam cognoscatur ecclesia. Iam quaeso te doctor insignis, ac  
 posteriorista peritissime, quum demonstras ecclesiae certitudinem,  
 20 per certitudinem evangelii: et viceversa, demonstras evangelii  
 certitudinem, ex certitudine ecclesiae, liceat ex te scire quo canone  
 posterioristico, posterior propositio in hac demonstratione tua  
 posterioristica, ex priore sequatur. Quippe si hoc tibi satis explicatum  
 ducis, quum primum perdiscendum praecipis, quaenam sit vera  
 25 ecclesia, ut huic dumtaxat praedicetur evangelium: dein rursus  
 inquirentibus ecclesiam, constare eam censes ex evangelii praedicatione:  
 aut tibi sit necesse est alia posterioristice quam hactenus fuit  
 omnibus aliis, aut te parum posterioristices peritum esse. Nempe cum  
 etiamnum incertum relinquis, quibus sit evangelium declamandum,  
 30 nec verum vis, nisi quod praedicetur quibusdam, nescio quibus, quos  
 tu non satis definis: sed tamquam ideas Platonicas animo concipis, et  
 dum id tua ratione demonstrandi requirimus, redibit ad caput

currulus: ac si centies colligere, ac recolligere aggrediamur: easdem  
 semper propositiones, ultro citroque veluti labyrinthi errores  
 repetemus: dicemusque cognoscere nos evangelium: propterea quod  
 ecclesiam cognoscimus: deinde illam nosse, eo quod evangelium  
 5 scimus: porro iterum evangelium, quia ecclesiam sciamus. Itaque his  
 claustris perpetuo septi, dum quaerimus egressum, et certam  
 tandem metam optamus attingere, cogimur eodem recurrere. Atque  
 haec est domini doctoris posterioristice qui, quum sibi iam prius fas  
 esse scripserit, coronam regiam conspergere et conspurcare stercorebus:  
 10 an non nobis fas erit posterius, huius posterioristicae linguam  
 stercoreatam, pronunciare dignissimam: ut  
 vel meientis mulae posteriora lingat suis  
 prioribus: donec rectius ex prioribus, didicerit  
 posteriores concludere, propositionibus.  
 15 Qui ideo se certum de ecclesia iactitet: quia certus sit de vero  
 evangelio: certum autem de evangelio: quod certus est de ecclesia.  
 Rursusque de ecclesia sibi constare ex evangelio: et tamen ecclesiam  
 prius inquirendam: ut ii soli evangelium praedicetur. Ceterum eam  
 investigari non posse, nisi per evangelii praedicationem. Quis non  
 20 credat hunc hominem, aut insanire ipsum, aut alios prorsus omnes  
 insanire putare: qui nihil habet considerari, quid, apud quos, in quos,  
 ubi, quando, vel quomodo eblateret: extra omnem locum et rationem,  
 citra omne pensum, quicquid in buccam venerit effutiat: atque  
 quaelibet in quemvis ei aculetur opprobria, more Cynicorum, si quis  
 25 vel ausit hiscere contra eius placita, etiam absurdissima?  
 SED quaeso te Luthere, satin tibi sanus videris: quum scribas  
 ecclesiam veram, hoc est per te bonorum dumtaxat: et qui sine  
 peccato sunt, et sine peccato permanebunt, hoc est etiam per te  
 nullorum, quum neminem ponas absque peccato. Sed istud omitto.  
 30 Sint ista simul vera, et aliquam in terris esse ecclesiam, et de ea  
 neminem esse: nisi qui sit absque peccato: et neminem esse sine

peccato: et tamen, ut dixi, quandoquidem tu ita vis, sit aliqua in  
 terris ecclesia talium, quales in terra nusquam sunt. An tu nunc  
 censes ecclesiam istam tuam, bonorum et impeccabilium virorum,  
 satis certam et perspectam esse, tribus hisce signis, baptismo, pane, et  
 5 vera praedicatione evangelii? Primum ista tria signa, manifeste sunt  
 in ecclesia nostra: quam tu vocas papistarum. Nam de baptismo, et  
 pane, nec ipse dubitas, haec duo esse apud nos: et ideo tertium dicis  
 esse signum, longe certius: nempe veram evangelii praedicationem,  
 hanc omnino negas esse apud nos. At nos interpretamur et praedicamus  
 10 evangelium, ex sententia sanctorum patrum, quamobrem si illi  
 vere praedicabant, et in hac ecclesia vere praedicatur: in qua tu  
 neminem dicis esse de ecclesia vera: nisi si quis forte parvulos  
 excipiat et simplices. Nam parvulos et simplices, non prorsus affirmas  
 eictos ex ecclesia Christi: quamquam sunt de ecclesia papae, hoc est  
 15 per te de synagoga Sathanae: et tamen eos excipi pateris ab his: qui  
 non sunt de ecclesia Christi: ratus quod illi fortasse sine peccato sint,  
 et sine peccato quoque permansuri sint: et ideo in ecclesia Christi,  
 numerentur etiam sine vero, ut ais, evangelio: quod unum ponis  
 certissimum signum ecclesiae: et quod nusquam esse contendis in  
 20 ecclesia papae, de qua sunt illi simplices et parvuli: quia nos papistae,  
 in perpendendo scripturae sacrae sensu innitimur vestigiis sanctorum  
 patrum. Sed tu solus vere praedicas evangelium, et ante te nemo.  
 Nam tu scripturas expendis, et de sensu soli credis tibi: nec sanctis  
 quicquam credis patribus: gnarus, eos quantumvis sancti fuerint,  
 25 fuisse tamen homines et errasse saepe, ita enim tu saepe iactas: quum  
 interim, opinor te scias hominem omnino non esse, sed doctrinam  
 tuam certus es habere te de caelo: et certus es te non magis errare  
 posse, quam asinum, angelum volui dicere. Verum istud, abs te  
 Luthere quaesierim: quo nam signo discernis eum scripturae  
 30 sensum veriore esse: qui videtur tibi: quam eum quem vides visum  
 esse tam multis, tam doctis, et tam sanctis patribus? ex collatione  
 locorum inquis. An igitur, non conferebant illi? An tu illis rationem  
 censes, et iudicium defuisse, quod nunc supersit tibi? quum illi

rationem rectam sint secuti, vos eam propemodum studeatis extinguere:  
 sed deus videlicet aperuit petenti tibi, iuxta illud: Petite et  
 accipietis: nam id iactare soles, certum te esse doctrinam tuam habere  
 te de caelo: petisti videlicet certa cum fiducia homo spiritualis: ut  
 5 duplex Heliae spiritus inspiraretur in te: in quem perspicuum est  
 spirituum nequam aliquot, sese intrusisse, myriadas. Quid ergo  
 censes de sanctissimis patribus, aut voluntatem defuisse, aut opem dei  
 non implorasse, aut in deo non habuisse fiduciam? Si deum contendis  
 tam multa, tam utilia, tam necessaria, nunc indicare tibi, cur illum  
 10 putes cum tanto totius ecclesiae suae detrimento, illa omnia tam diu  
 celasse tam sanctos? Sed non caelavit Luthere. Immo aperuit eorum  
 oculos deus, et se accomodavit eorum modestiae: quum tuam aversatus  
 arrogantiam, patitur te sapientem videri in oculis tuis, ut cum  
 philosophis, quos toties improbas, dicens te esse sapientem, stultus  
 15 fias: et evanescas in cogitationibus tuis: et itidem fiat, et evanescat  
 tecum: quisquis in quaestione virtutis, et fidei, non malit animam  
 suam periclitari cum tot sanctorum cuneis: quos in caelis esse non  
 dubitat: quam cum uno scurra blasphemus: quem, valde caecus est  
 20 quisquis non videt, ad inferos ire praecipitem. Igitur Luthere, si  
 verum est, quod ipse dicis, quod ubicumque haec tria sunt, baptismus,  
 panis, et verum verbum dei, ibi non est dubitandum veram  
 esse ecclesiam, quia signum verbi, ut dicis, impossibile est sonare, nisi  
 in ecclesia per spiritum sanctum: certe quum in ecclesia nostra sit  
 verum evangelium scriptum, et sancti patres illud vere sint interpretati,  
 25 et multi apud nos in templis, ut vocas papistarum: et idem  
 evangelium scriptum legant, et ex sanctorum patrum interpretatione  
 praedicent. necessario sequitur, etiam per te, id verum esse: quod tu  
 tantopere pernegas: ecclesiam istam quam appellas papisticam,  
 ecclesiam esse vere Christi catholicam. Sed et istud ex te quaero: si  
 30 in his populis, qui parent pontifici, et tam diu paruerunt, toto hoc  
 tempore non fuit ecclesia: dic ubi fuerit his annis quingentis proximis,  
 ante natum te. Nam nunc, tu videlicet nova progenies caelo demitteris  
 alto, ut ecclesiam malorum instituas, in bona, et ante te

incorrupta Saxonia. Quae et ipsa, et Germania tota, si tu verum dicis,  
 hactenus fuit extra ecclesiam, et maiores eorum omnes descenderunt  
 ad inferos. Verum illi, nunc in superis male praecantur tibi: qui  
 eorum posteros ne illuc sequantur eos, per maliciam conaris avertere.  
 5 Sed, quoniam probavimus ex Lutheri positione sequi, ut si sua signa  
 certam faciant ecclesiam, necessario certum sit, ecclesiam veram esse  
 quam ille falsam vocat, nunc examinare libet: quam prudenter ista  
 tria signa statuat: velut infallibilia ecclesiae verae indicia: Memineris  
 10 Lutheri, te ecclesiam ponere dumtaxat tam sanctorum: ut sint  
 sine peccato. Age igitur, pone ob oculos quamcumque velis congregationem:  
 et quoniam tibi libuit litteris ludere: et velut per demonstrationes  
 agere, per A. et .B. dum dicis tibi crasse philosophandum  
 esse, cum crasso et pituita laborante capite, atque ita colligis: Si A.  
 15 disputet cum B. et cetera quae tu praeclare conectis: eodem modo  
 nos homines crassi, et pituitosi, proponemus tenui et splendidae bili  
 tuae. Esto igitur, tu sis A: auditores tui. B. C. D. sit aliquis, qui  
 cupiat certus esse de aliqua vera ecclesia: quam sit persuasus non  
 aliam esse: quam quae sit absque peccato: et audierit eam tribus  
 20 signis, certo posse cognosci, baptismo, pane, et vera praedicatione  
 evangelii. Sed ut pergamus per litteras. Sit hic si voles .E. pone igitur,  
 quod .E. veniat in ecclesiam A. B. C. D. quos novit esse baptizatos, et  
 vidit usos eucharistia: audiat praeterea ipsum A. suo more praedicantem  
 evangelium, apud B. C. D. et pone per impossibile: quod  
 praedicatio quam praedicat A. vera sit, et sincera praedicatio.  
 25 Utrum ex his signis certo sciret E. quod A. B. C. D. sunt vera ecclesia,  
 eo modo quo ille accipit ecclesiam veram, hoc est quod A. B. C. D.  
 sint viri boni, et sine peccato: et respondeo, quod non: quod, ut tuis  
 verbis utar, evidenter probo sic. E, aut novit ipse scripturas, et  
 dogmata christianae fidei, et venit ut nota rursus audiat, et crebra  
 30 auditione pietatem augeat: aut illa nondum novit: sed audito Christi  
 nomine quaerit ecclesiam, a qua perdiscat fidem. Si scripturas novit,  
 et christianae fidei dogmata: iam certo sciet E. istam ecclesiam .A.

B. C. D. per ista signa, certam esse non posse. Incertum enim adhuc esse sibi, utrum .A. B. C. D. boni sint an mali. Nam et dissimulari vitia possunt, et simulari virtutes. Cognoscet praeterea, et apud malos bene praedicari posse, sicut Christus ipse  
 5 praedicavit saepe Scribis, et Pharisaeis, et non solum a malo viro posse praedicari veritatem, sed etiam a diabolo: et illud falsissimum esse, quod dicis tu, videlicet verum verbum non posse sonare, nisi in ecclesia vera: quae sit absque peccato, nisi mentitur propheta: quum ex persona dei dicit: Peccatori autem dixit deus, quare tu  
 10 assumis testamentum meum per os tuum. Aut nisi falsum fuit: quod dixit diabolus: quum per os hominis insani Christum confessus est, esse filium dei. Vides ergo Luthere: quod si E. scripturas intellegat, et dogmata fidei christianae: iam ex ipsis, ipse certus erit, se incertum esse de ecclesia, A. B. C. D. utrum sit vera, an falsa: hoc est utrum sit  
 15 bona an mala: quia quantum ad virtutem pertinet ac vitium, E. per nullum istorum signorum tuorum potest esse certus, utrum A. sit albus an ater: utrum B. sit bonus an bufo: utrum C. sit creta an carbo: utrum D. sit deus an diabolus. Atque haec Luthere, vides esse vera, etiam posito per impossibile, quod praedicatio, quam praedicat A.  
 20 recta foret et indubie vera. Ex quo facile vides: quam longe tibi retro res nunc labatur, apud E. videlicet intellegentem, et pium: quum praedicatio quam praedicat A. vere sit et indubie falsissima.

SED iam videamus alteram partem. Si .E. nesciat adhuc neque quae sint scripturae verae, neque quae sint verae christianae fidei  
 25 dogmata: sed de sua salute sollicitus, audita Christi fama, velit eius fidem religionemque cognoscere: tunc dico quod E. veniens in ecclesiam .A. B. C. D. et audiens A. more suo praedicantem talia: qualia solet apud .B. C. D. et videns B. C. D. assentientes, et asserentes hanc esse veram praedicationem. Primum si illa talia essent  
 30 vera: tamen E. non posset habere rem pro explorata: propterea quod audierit A. B. C. D. non esse nisi minimam particulam eorum: qui profitentur fidem Christi: nec posset ipsis solis auditis certus esse: utrum .A. B. C. D. aut veras scripturas profiterentur, aut veras vere interpretarentur: nec iudicare posset: utrum id quod apud

eos audiret verum esset evangelium an non: nec de tanta re tam  
 paucis esset crediturus, nullo permotus miraculo. Ergo, quum E.  
 postea, tot nationes christianas perlustraret: et quantum ad salutis  
 necessitatem pertinet, ubique videret eandem fidem, eadem dogmata.  
 5 Quum ex veterum sanctorum scriptis intellexeret, eisdem de rebus  
 eadem sensisse constanter omnes doctores sanctos: quicumque fuerunt  
 a Christo passo, in haec usque tempora: iam non dubitaret E. si qua  
 sit in terris ecclesia Christi vera, hanc esse congregationem quae per  
 Christum coepta, propagata per apostolos, edocta per sanctos,  
 10 speciali dei cura perpetuo, per tot secula permansit in unitate  
 christianae fidei, Ergo, si postea redeat rursus E. in ecclesiam  
 .A. B. C. D. et rursus audiat A. suo more, qualia solet, apud .B. C. D.  
 praedicantem, et asserentem se praedicare verum, et genuinum  
 verbum dei: et illos omnes christianos: quos E. in tot populis audivit  
 15 alibi, decipi prorsus, et errare damnabiliter: fieri certe non potest:  
 quin E. quum videat ecclesiam .A. B. C. D. non nisi rivulum quendam  
 esse, ab illa magna dimanantem: et nunc ab ea divulsam: et  
 quum non aliud quam scripturas admittat: alias tamen scripturas  
 non habeat: sed aliter eas, contraque, tractet: quam tota illa, tot  
 20 terrarum, tot aetatum tractet ecclesia: et de earum sensu sibi arroget,  
 contra tot aetatum, tot et tam doctos, tam sanctos  
 interpretes, contra totius orbis christiani consensum: quem consensum,  
 ex scripturis iam didicit .E. spiritu Christi coalescere: quumque  
 videat .E. apud .A. B. C. D. maximis de rebus, multa perabsurda  
 25 dogmata, non solum ecclesiae illi catholicae contraria: sed in publicos  
 etiam mores perniciosissima. Fieri, inquam, non potest: quin .E. certo  
 sit intellecturus ecclesiam .A. B. C. D. non esse ecclesiam Christi, nec  
 bonorum coitum: sed pessimorum scurrarum gurgustium, et conciliabulum  
 Sathanae: et iam ex his interpretaretur .A. vel alpha esse  
 30 haeticorum, vel Antichristum. Sed nec fieri potest: quin .E. quum  
 certo iam et pernorit ecclesiam illam veram: quae perpetua quadam



serie propagata est, ab ea: quam olim instituit Christus: et semper  
 incorrupta mansit in fide stirpis, facile sit cogniturus, quantacumque  
 pars ab ea se divulgavit: ramum arefactum fore, divini spiritus expertem:  
 qui nusquam manebit, nisi in sua vinea, in quantulumcumque,  
 5 rescissis palmitibus, sit redacta. Ecce Luthere: qui te tam impudenter  
 exclamas Ambrosium demonstrative convincere: habes ne quicquam,  
 quod hic possis hiscere: quo minus te fatearis, tui generis demonstratione,  
 victum ac revictum evidentissime, probatumque nobis, et  
 tuam ecclesiam conciliabulum esse Sathanae, et promiscuam  
 10 christianorum multitudinem, vulgo notam et sensibilem ecclesiam  
 esse Christi catholicam: cuius milites modo vincunt modo vincuntur:  
 dum adhuc ecclesia militat in terris.

IAM quum Lutherus tam pulchre pronunciet, de tot christianis  
 gentibus: quae obediunt papae: ut eas omnes asserat esse omnium  
 15 sceleratissimos: nec dubitandum esse quin ibi ecclesia non sit:  
 nisi quis ut ait parvulos excipiat et simplices, libenter ab illo  
 quaesierim, ubinam gentium sint illi grandes et duplices: qui numquam  
 peccant: quos veram vocat ecclesiam. Nam sceleratissimam  
 plane, et Sathanae synagogam esse, totam dicit Italiam, totam  
 20 Angliam, Scotiam, Hiberniam, totas Hispanias, ac lusitanam, et  
 usque ad suum evangelium, totam fuisse Germaniam. Nam has  
 gentes omnes, satis constat reverenter hactenus agnovisse successorem  
 petri. Nos tamen benignius sentimus de Saxonia: quam serpentis  
 istius pestifer infecit halitus. Nam et ibi quoque, speramus deum  
 25 reservasse sibi grandium et sapientum septies septem millia: quae non  
 curvarunt genua sua ante Baal. Sed age, magna parte temporis, quod  
 Christi salutiferam mortem, et Lutheri mortiferum ortum intercessit,  
 si istae nationes, non faciebant maximam saltem partem ecclesiae:  
 dic quibus in terris erat ecclesia. Nam etiam si ecclesia non obligatur  
 30 ad ullam partem terrae, necesse est tamen aliqua in parte sit. Certe,  
 si in istis partibus terrae non fuit iamdiu aut mire pusilla fuit, aut  
 nusquam fuit. Constat igitur, etiam si ecclesia non sit christianorum  
 multitudo promiscua, sed bonorum hominum numerus, aut qui sic

resipuerint: ut numquam denuo peccaturi sint, aut qui subinde  
resurgentes, subinde casuri sint: tantisper in ecclesia censendi: quam  
diu steterint, eieci quum ceciderint, recepti quum redierint: tamen  
ne sic quidem quicquam confecisse te. Nam, et horum certum est  
5 multo maximam partem, longo iam tempore in his fuisse gentibus:  
quae sedem Petri reverentur ut matrem. Neque  
enim usquam est, aut diu fuit alibi, tantum populorum profitentium  
fidem Christi. Sequitur igitur, ut si non hae nationes sint ecclesia:  
saltem in his nationibus sit ecclesia: aut quod negari non potest,  
10 multo maxima pars ecclesiae. At hactenus in his nationibus, optimi  
quique maxime paruere pontifici, pessimi quique maxime rebellarunt  
pontifici, leges sanctissimi viri condiderunt: optimi quique maxime  
servaverunt: pessimi quique maxime contempserunt. Sacramenta  
concorditer venerabantur universi, vix unus aut alter e tot populis, in  
15 tot aetatibus exortus est: qui quicquam contra mutierit: et eidem  
semper notae nobilisque maliciae. Quaecumque ergo vera sit ecclesia,  
quae quidem sit aut fuerit, diu in his populis, qui maximi sunt in  
professione christianae fidei, dogmatis adversatur et semper est  
adversata tuis. Quod si tibi parum videtur istud, quod plane tua plus  
20 quam pessumdat omnia, profer tu gentem aliquam, ubi umquam in tot  
aetatibus, ante natum te, tue probatae sunt haereses. Ostende apud  
quos christianos, sacerdos nihil distarit a laico: apud quos christianos,  
mulieres admissae sint ad audiendas confessiones: ubi credite sint  
feminae sacerdotes esse: et idoneae quae conficerent eucharistiam:  
25 ubi sit receptum nullas leges obligare christianos: et mille absurditates  
eiusmodi. Quod si non potes, ut certe non potes, non est quod  
amplius arguteris de ecclesia. Nam, quaecumque tot aetatibus vera fuit  
ecclesia, sive illa fuit bonorum malorumque multitudo promiscua,  
sive numerus dumtaxat bonorum, sive in his regionibus quae parent  
30 Romano pontifici, sive alibi ubicumque terrarum, semper contra te  
sensit illa: et tua damnavit insanissima dogmata. Nam, quod

ais papistarum esse figmentum: quod aliud sit iurisdictionis, aliud  
 fraternae caritatis officium: et dicis evangelium et ecclesiam nescire  
 iurisdictiones (nam eas non ais esse, nisi tyrannicas inventiones  
 hominum) certe nisi tu totus esses potista, facile cerneres non esse  
 5 prorsus idem iurisdictionem et caritatis officium: etiam si verum est  
 nullam esse iurisdictionem christianam: quae non ex caritate sit  
 instituta. Sed tamen multa potest et debet praesidentis auctoritas:  
 quae sibi, nec potest nec debet arrogare, cuiusque privati hominis  
 caritas. Alioqui si iurdictio nihil est omnino, cur Paulus iurisdictionem  
 10 exercuit? Cur hominem tradidit Sathanae in interitum carnis?  
 Cur planissime proponit. Qui potestati resistit ordinationi dei resistit.  
 Cur servari praecipit, quae tradidit ipse? Cur praecepit obedire  
 praepositis? Cur ipse Christus obedire iussit Scribis, et Phariseis super  
 cathedram Moysi sedentibus? Cur ipse praebuit iurisdictionis  
 15 exemplum, et flagello vendentes eiecit e templo? Immo cur ipse turpiter  
 dissimulas, inter ipsa verba Christi pasce oves meas, verbum esse,  
 quod te confutat? Neque enim ignoras, sed dissimulas turpiter: quod  
 vir citra ullam controversiam eruditissimus, et de ecclesia Christi  
 optime meritus, Erasmus Roterodamus annotavit, esse in illa repetitione  
 20 verbi ποιμαίνειν, quod significat regere: sed quum istud nemo  
 non videat, tibi satis est, si te dissimules cernere. Non opinor expectare  
 quemquam, ut ad praeclaram allegoriam tuam respondeam, qua  
 scribis tria signa figurari, per duo capita vectium, in templo Solomonis  
 extra arcam exstantia: quippe quum nihilominus concinne  
 25 potuisses, eadem figurare per duas Moysi tabulas, aut duo Moysi  
 cornua.

IAM istud, nescio quanti facias ipse: quod bis immittis in nos,  
 nempe quod in symbolo confitemur, nos ecclesiam sanctam catholicam  
 credere. Ex quo colligis, quum fides argumentum sit rerum non  
 30 apparentium, si ecclesia creditur, et est materia fidei, nulla modo  
 ecclesiam esse sensibilem istam bonorum et malorum multitudinem:  
 quae cuivis apparet et humano sensu percipitur. Hoc telum, bis in

manum sumis: bis intorques fortiter: sive quod tibi videbatur  
 splendidum, et quod contrectare delectabat: sive quod sentiebas esse  
 tam obtusum, ut saepius oporteret incuti. Hac in re, primum miror  
 symbolum, quod ut est, ita debet esse magni ponderis apud omnes  
 5 fideles, quicquam habere ponderis apud te. Nam symbolum constat  
 opinor traditionem esse, non scripturam: nam nec intra scripturam  
 canonicam numeratur: nec sanctorum patrum quisquam, quod  
 sciam, quum ii propositum fuisset, aliquid probare scripturis, umquam  
 probavit ex symbolo. Quare, si tu Luthere, qui toties adversus  
 10 traditiones exclamas: qui te toties clamas nihil recipere praeter  
 evidentes scripturas, ecclesiam credis propter auctoritatem symboli  
 manifeste profecto, decedis de sententia: et traditionibus credis, non  
 scripturis. Nec istud eo dico: quod te hac in parte vituperem. Immo  
 adeo laudo: vellemque idem ut faceres saepius. Esset enim plaudendum:  
 15 si incipias aliquando in melius esse mutabilis: qui quavis aura  
 incertior, et quovis folio levior, subinde te mutas in peius.  
 SED interim, te quaeso, quid lucraris in causa? Nam quum planum  
 sit, aliam esse ecclesiam triumphantem in caelo, aliam hic militantem  
 in terris: quid probasti tu, de hac? si articulus loquatur de illa:  
 20 ut quum percensusset quae de divina trinitate credenda sunt, et  
 humanitate Christi: tandem speratum credentium premium proponat:  
 credendum etiam illud: quod alioqui certo sperari non possit:  
 admonitos itaque mortales, qui fidem profiteri velint: ut indubitanter  
 crederent ecclesiam fore catholicam: quae sancta societate, remissis  
 25 peccatis, rediviva carne, redditisque corporibus, vita frueretur eterna.  
 Sed et in terris quoque, tametsi non sit incertum quae sit: aut ubi sit  
 ecclesia Christi catholica, cuius consentientis auctoritas, certum  
 quemque facit et de scripturis veris, et de necessariis articulis fidei,  
 atque ita certum, sit istud: ut hac ratione sit ecclesia sensibilis: tamen  
 30 et ipsa multis modis pendet a fide. Nam, etiam si sensui patet: quae  
 sit illa: quae de fide consentit: sensui tamen non patet, hunc consensum,

non humana conspiratione fieri: sed nasci atque inspirari  
divinitus: nam id, nemo nisi fide concipit. Iam, quamquam ecclesiae  
corpus sit sensibile: tamen, quod Christus eius mysticum caput sit:  
id quoque non sensus ostendit, sed fides. Quin et istud, quod quicumque  
5 sanctus est in terra, pars est huius ecclesiae: quae etiam hic adeo  
sancta dicitur, non quod nemo sit in ea, qui peccat: sed quod nemo  
est in terra sanctus: qui non est membrum huius ecclesiae: istud  
inquam fide docemur non sensu. Quamobrem, et recte credimus  
ecclesiam catholicam, propter multa, quae sensui non apparent, sed  
10 omnino pendent a fide: et tamen nihilo minus constat evidenter,  
hanc promiscuam et sensibilem multitudinem, profitentium nomen et  
fidem Christi, esse ecclesiam catholicam: qua docente, scriptura  
discernitur: et certo discitur, et cognoscitur fides. Sed decies ad id  
recurrit: quod ecclesia non potest esse multitudo ista promiscua: quia  
15 peccatores non sunt de ecclesia: nec meminit, quod in archa  
Noe, quae praefigurabat ecclesiam, animalia immunda commixta  
sunt mundis. Quaeso te Luthere, quum apostolus scriberet Corinthiis,  
an non scripsit ad ecclesiam? An igitur, nihil peccati taxat in  
ecclesia. Quid, quum scribit ad Galathas non ibi quoque scribit ad  
20 ecclesiam? et tamen insensatos vocat, et usque adeo clamat errare,  
ut miretur etiam, quis eos fascinaverit. Iam in revelatione Ioannis  
evangelistae, quum septem ecclesiis loquitur spiritus, nihil ne reperit  
usquam vitii? Quam severe minatur, quosdam eiectionem se ni  
resipiscant? Ceterum, quamquam peccantes, et si perstiterint  
25 evomendos: interea tamen numerat in ecclesia. Quin Christus ipse,  
de ecclesia sua praesens praesente pronunciavit: non omnes esse  
bonos. Vos, inquit, mundi estis: sed non omnes. Et iterum. Nonne  
duodecim elegi vos: et unus ex vobis diabolus est? Quod si commemorare  
vellem sanctorum patrum sententias: quae huic sententiae  
30 subscribunt: et longum esset, et apud te supervacuum: qui flocci facis  
unus universos: apud quem, nec totius ecclesiae consensus quicquam  
habet ponderis: quae non aliquos habere peccatores, sed se confessa  
peccatricem totam quotidie clamat ad dominum: Ecclesiae tuae deus,

peccatis ignosce. Nec id humano docta consilio: sed ab ipso docta  
 Christo: qui et apostolos suos orare docuit: ut deus eis debita sua  
 dimitteret. Itaque ecclesia Christi, dum versatur in terris, non adeo  
 adhuc depurata est: quin et peccata quaedam assidue maculent  
 5 bonos: et inter bonos ubique vivant mali: qui interea, non aliter sunt  
 in ecclesia: quam morbidae partes in ulceroso corpore. Nam adhuc,  
 etiam si sani non sunt: tamen utcumque vivunt, et aluntur calore  
 quodam divini spiritus: qui animat et conservat ecclesiam,  
 penetrans omnia fortiter, et disponens omnia suaviter. Nec desinet  
 10 aegras partes circumferre secum: quam diu in terris peregrinatur  
 ecclesia, nec desinet Christus pro partibus aegris interpellare patrem:  
 qui mystici corporis morbos ingemuit, ac deploravit in cruce: longe  
 sunt, inquam, a salute mea, verba delictorum meorum. Verum quum  
 15 defluentibus tabidis illis, et putrefactis visceribus, restabit ecclesiae  
 corpus undique purum ac nitidum: quod interea gestat gestabitque  
 morbidum: sed quantumvis morbidum, numquam gestabit mortuum.  
 Erit enim cum eo Christus, et verbum eius quod sive scriptum sit,  
 sive sine scripto traditum, utroque modo spiritus est et vita cum fide  
 20 quae per dilectionem operatur, credentibus: quod genus fidei, ne  
 deficiat umquam, aut desit ecclesiae, cui Christus praefecit Petrum,  
 Christus ipse rogavit patrem. Praefecit autem, non Romanae solum,  
 sed universae ecclesiae: quae et hodie successorem Petri non  
 25 dedignatur obedienter agnoscere. Nam, et si, quidam se separant, ac  
 divellunt ab illo, quemadmodum Dathan, Abyron, et Chore cum suis  
 complicitibus, magno cum malo suo se separarunt a Moyse: tamen  
 omnes fere populi, qui sincere profitentur fidem Christi, Petri  
 successorem velut Christi vicarium suspiciunt ac venerantur. Quod si  
 30 isti populi, noti nobis et christianae fidei professione coniuncti, non  
 sunt ecclesia catholica, nec ulla pars horum sit ecclesia Christi, sed  
 hinc inde conventus aliquot occulti, atque incogniti: qui et ab ecclesia  
 reliqua, et inter se quoque de fide Christi dissentiunt, apud quem  
 illorum quaeretur is cui dictum est? Si nolit emendare: dic ecclesiae.

Cui quaeso, ecclesiae, non obtemperando, fiet tibi sicut ethnicus  
 et publicanus? an aliam dicit Christus quam notam illam ac publicam?  
 an quaeri iubet alicunde duos aut tres haereticos: qui Donatistarum  
 more denegent ecclesiam catholicam esse catholicam? Sit  
 5 igitur e turcis quispiam: qui venire velit in fidem Christi: persuadeatur  
 illi, non hanc ecclesiam veram esse: quam nos appellamus  
 catholicam: hoc est, omnium gentium congregationem, Christi  
 nomen ac fidem undiquaque profitentium: etiam si plerique professioni  
 parum moribus et virtute respondeant, sed ecclesiam veram  
 10 esse hinc atque illinc duos aut tres, in Christi nomine congregatos  
 bonos: illic inter virtutes vigere fidem veram. Hanc vero nostram,  
 notam atque vulgatam, non esse veram: sed ut moribus malis  
 inficitur, ita verae fidei loco, falsis opinionibus erroribusque seduci.  
 Dic iam Luthere quaeso, quo perget, ut  
 15 discat fidem? ad eos ne, quos, qui sint,  
 scire non potest? Neque enim scire potest, qui sint boni. Scripturas  
 igitur in manum sumet ipse? atque hinc eliciet omnes articulos fidei?  
 quum nec scriptura comprehendat omnes: et quaedam comprehendat  
 sic: ut sine doctore legenti facile obrepat error: doctorem vero,  
 20 qui discernet orthodoxum ab haeretico? An deus docebit intus?  
 doceret certe: nisi reliquisset ecclesiam: ad quam docendos remittit.  
 Quam qui contemnit, persuadens sibi tam unicum esse dei delictum  
 se: ut seorsum solus doceatur a deo, aliud quam publice credit, ac  
 profitetur ecclesia: is quantumvis sibi  
 25 videtur humilis: arrogantiae certe damnatur  
 apud deum: qui se maiori curae deo  
 credit esse, quam ecclesiam totam: et deo dicit: non ut docet Christus  
 Pater noster, sed ut superbus ait quidam amicus Iob, Pater mi:  
 et deo non credit ecclesiae pollicenti: Ego vobiscum sum usque ad  
 30 consummationem seculi. Nec meminit, aut reformidat quicquam:  
 quod sicut omnia, quae scire sit opus: spiritus dicit ecclesiae: sic  
 ecclesiam, qui non audierit: iubet Christus pro ethnico habendum et

publicano. Nam si quis, inquit, admonitus coram testibus duobus aut  
 tribus, non emendatur, dic ecclesiae. Non dicit, dic duobus aut  
 tribus. Non ergo duos aut tres appellat ecclesiam: nam totidem testes  
 erant quos ab ecclesia distinguit. Quod si ecclesiam contendas a  
 5 testibus non numero differre, sed merito: ut in alteris sufficiat  
 numerus: in altera spectetur pietas, rursus te rogo; quonam signo  
 discernes ecclesiam illam bonorum trium a tribus qualibuscumque  
 testibus? nam et dissimulari vitia possunt: et simulari virtutes.  
 Quibus ergo tribus dices: quum sis  
 10 dicturus ecclesiae? Alia est igitur, velis  
 nolis, ecclesia catholica, quam ea, quam fingis tu: nec ob aliud fingis:  
 quam quo licentius contemnas, ecclesiam vere catholicam: quae nisi  
 esset cognobilis ac nota, non esset certe, apud quam de proximi  
 peccato quaeri possis. Apud quam, si Christus quaeri iubet de moribus:  
 15 certe multo magis iubet de fide: cuius iudicio, qui non audierit: sit,  
 inquit, tibi sicut ethnicus et publicanus: quorum alter peccat in  
 moribus: alter aberrat in fide. Vides ad  
 ecclesiae iudicium in fidei causa, morumque  
 20 recurrendum. Cuius ecclesiae iudicium,  
 quum tu de fide non audias: immo scurriliter illudas, subsannes,  
 irrideas, et opera bona contemnas: ad mala praepes provoles: et ad  
 pessima quaeque currentibus addas calcaria: promissa per solam  
 fidem, sine bonis operibus, impunitate pessimorum scelerum:  
 merito christianis omnibus, ipsa Christi voce denunciatus es ethnicus:  
 25 et digne eiectus ex ecclesia catholica, quam discindere conaris: et  
 comminuere in duos aut tres haereticos: qui si fors conspirent diem  
 non honorare dominicam, et dominicae diei loco, mercurii diem aut  
 veneris sibi festum facere, contendunt  
 nimirum praecepto se satisfacere, colere  
 30 videlicet diem festum, nempe diem illum, quem ipsi sibi sumpserunt



pro festo. Liberum enim istud esse, quod nullus dies certus ulla sit  
scriptura definitus, nisi forte sabbatum. Quod si quis dicat, ad  
ecclesiam pertinere, spiritu sancto gubernatam, determinare: quis  
potissimum dies deo dedicandus sit:  
5 eamque statuisset dominicam, respondebunt  
istud statuisset papisticam. Ecclesiam  
enim veram atque catholicam esse sese tres videlicet congregatos in  
nomine Christi. Atque hoc pacto futurum est: ut colere diem festum  
non sit aliud, quam verum profanare festum, ac festum facere:  
10 quem cuiusque libido voluerit: ut iuxta  
Tychonii dictum, id demum sanctum sit:  
quod cuique sanctum sit. Sed cui nauseam non faciat haec tam  
absurda finitio ecclesiae catholicae? Nam quum apostolus dicat: quae  
extra nos nihil ad nos: extra quos nos dicit? an non extra notam illam,  
15 quae tunc nota erat, ecclesiam? Quum idem scripsit. Qui contemptibiles  
sunt in ecclesia: eos constituite ad iudicandum: de qua dicit  
ecclesia: an de alia videlicet, quam quae tum nota erat Christi  
ecclesia? Quae quantumvis diffundebatur: una Christi professione et  
iungebatur: et catholicae nomine cognoscebatur. In qua quicumque  
20 aliam profitebantur fidem, quam publicam: semper habiti  
sunt haeretici: nec eorum conventus Christi fuit ecclesia: nec umquam  
in eum numerum crevere: ut reliquum gregem superarent,  
idem Christi nomen profitentem. Nam licet infideles et ethnici in  
tantam molem aucti sint: ut eorum collatione Christiani videantur  
25 pusillus grex: numquam tamen sic excreverunt haeretici, profitentes  
Christi nomen, et sibi vendicantes ecclesiam: ut dubium cuiquam  
relinquerent: ubi censeretur ecclesia catholica. Nam licet in ecclesiae  
vitia, homo et extra ecclesiam et vitiosissimus insultet: numquam  
efficiet tamen: ut ager domini desinat eius esse: propterea quod in  
30 hoc crescendi tempore, zizaniae multum ferat inter triticum: aut  
Christi rete desinat esse Christi: propterea quod dum in hoc mari  
trahitur: malos pisces mixtos habet cum bonis: quousque dominus et  
triticum colliget, et pisces bonos: ac  
seponet sibi: Lutherum vero, ac suos

complices, foras ablegabit in ignem. Interea vero ecclesiam sponsam suam, cum qua se futurum promisit, usque ad finem seculi: quamquam alias peccantem, et saepe castigatam: ita tamen servat sua praesentia: ut eam per infidelitatis fornicationem, in aliorum deorum cultum non patiatur incidere: sed suo spiritu sancto, qui ducat eam  
5 in omnem veritatem: sic eam fovet, et instruit: ut neque in fide sinat, neque sacramentis errare. De qua, si adhuc moveas controversiam, et quaeras, quatenus sit illa: respondebo rursus, illa eadem ecclesia, per quam cognovisti evangelium esse evangelium: eadem, inquam,  
10 ecclesia est illa catholica: quae te docet sacramenta septem esse sacramenta: quae docere non potes: cur in altero magis falli possit, quam in utroque. Si nihil omnino fuisset scriptum, ecclesiae credidisses de omnibus: quae iam scripta sunt? Ecclesiae credis veros Evangelistas fuisse, veros apostolos, qui scripserunt ea: quae scripta  
15 sunt: ex his, qui scripserunt: nemo scripsit scripta esse omnia. Immo scribunt aperte: quod omnia scripta non sunt. Cur igitur de reliquis, quae adhuc scripta non sunt: non credis ecclesiae cui fueras alioqui crediturus, de omnibus:  
20 quae iam scripta sunt? An, quia quaedam scripta sunt: ideo contemnenda sunt reliqua? Cur ecclesia minorem apud te fidem habet de parte: quam fuerat habitura de toto? an quia quattuor aut quinque scripserunt: qui se fatentur quaedam scripsisse, non omnia: ideo fidem amiserunt universi? Quos alioqui dignos habuisses: quorum  
25 fidei, sine scripto, de his etiam rebus, quae iam sunt scriptae: credidisses?

- NIMIUM diu videor, in re tam aperta, cum isto nebulone contendere.  
Qui, si quid obicitur: id dissimulat: aut si quid commemorat:  
5 false recitando depravat: et contra sua verba, tamquam adversarii,  
potius nugatur, quam disputat. Ait nos, articulos fidei facere, ex  
quovis verbo patrum: nec pudet tam  
aperte mentiri nebulonem. Quis, tamquam  
necessarium articulum fidei, protulit umquam tibi Luthere, unum  
10 dictum cuiusquam patrum? Certe tamquam probabile proferimus: ac  
multo magis probabile, quam tuum, vel ob hoc, quod illis pietas  
aperuit oculos: quos tibi claudit impietas.  
Illi studuerunt intellegere: tu  
laboras intellecta corrumpere. Quod si qua  
15 in re constet, veteres olim patres omnes idem sensisse: tantum bonorum  
consensum uni stolidissimo nebuloni non dubitamus opponere:  
quando planum est, per illum spiritum eos idem sensisse: qui facit  
unanimes in domo. Eodem modo nugatur: dum tenedia bipenni rem  
in duo genera partitur, hoc modo.
- 20 Si usum vel auctoritatem hominum,  
quae manifeste pugnat contra scripturas  
allegasses, quale est, inquit, quod stolidus rex producit, de altera  
parte sacramenti, anathema sit, usus, auctoritas, rex Thomista,  
satan, et angelus de caelo.
- 25 Immo anathema sit iste abusor, exauctoratus fraterculus, Hussista,  
Satanista, de tartaro: qui scripturam Christi sacram in sensum  
sacrilegum, adversus Christi sacramenta detorquet: Et hominum  
bene dicta, male narrando depravat. Nam  
quod hic vanissimus nebulo cupit, ignoratione  
30 lectoris abuti: nihil ei proderit: quum ad locum fuerit perventum:  
in quo videbis lector apertissimam nebulonis sycophantiam: qui

regem fingit obicere auctoritatem hominum: qui aperte obicit  
auctoritatem spiritus sancti, non hominum.

214

5 Sin autem eum, inquit, usum, vel  
auctoritatem hominum allegat: quae non  
pugnent scripturis, non damno: sed tollerari volo: Hoc tantum  
adiecto, ut libertas christiana salva sit, et in arbitrio nostro sit ea  
sequi, tenere, mutare, quando, ubi, quomodo  
placuerit. Quod si hanc libertatem  
10 nobis captivare volent, et necessaries fidei  
articulos statuere, anathema sit, qui hoc  
praesumpserit, sive sit insulsus Thomista, sive stupidus papista, sive  
rex, sive papa, tale est, quod dominus noster rex urget, pro articulis  
fidei sua sacramenta confirmationis, matrimonii, ordinis, unctionis, et  
mixturae aquae in vinum.

15 EXPENDE lector, ea, quae scripsit rex de sacramentis istis: et  
facile videbis, ac ridebis improbam nebulonis calumniam: qui nihil  
omnino respondens ad ea, quae rex probavit: tantum mentitur regem  
obicisse auctoritatem hominum: pro quibus allegavit princeps  
auctoritatem sancti spiritus. Contra cuius ordinationem, qui recalcitrat:  
20 ac sacramenta, quae Christus in sacrosancta consecravit  
ecclesia: blasphemat: anathema sit: qui hoc praesumpserit: sive sit  
insulsus satanista, sive stupidus potista, sive frater, sive apostata.

25 Pulcherrime declarat, quam inepte, immo quam  
prorsus amenter Lutherus adducat atque applicet  
scripturas. Ca. XII.

SED NUNC operae pretium est videre: qui nihil admittit praeter  
scripturas, et easdem etiam evidentes: quam pulchre scripturas  
proponat ipse: quas evidenter quisque videat neque caelum (quod  
aiunt) neque terram attingere.

30 Nobis, inquit, adversus has stipulas, et  
stuppas Thomisticas, plusquam nimis  
sunt divina fulmina: ubi Christus Matthaei.xv. decernit, super omnes

traditiones hominum, dicens. Sine causa colunt me doctrinis, et  
 mandatis hominum. Quid est universa  
 fex huius larvatae Thomistae adversus  
 unam hanc vocem Christi, ut alia  
 5 plurima transeam alias memorata? Si frustraneum est, quicquid  
 hominum mandatum est, qua fronte stolidus rex, nobis articulos fidei  
 ex eo faciet? Itaque hac sola voce Christi, prostratus iacet, infelix  
 et miserabilis defensor Ecclesiae Henricianae, cum toto suo libello.

10 CUIUS expectationem non superat impudens istius nebulonis  
 stultitia: qui Christi verba illa, Sine causa colunt me doctrinis et  
 mandatis hominum: fulminat, videlicet homo nugax, et Antichristus,  
 adversus eum: qui dixit, ac probavit, sacramenta traditiones esse dei,  
 non hominum. Et tam impudentis amentiae convictus, iam velut  
 victor ac triumphator exultans,

15 Hac, inquit, sola voce Christi prostratus iacet infelix et miserabilis  
 defensor ecclesiae Henricianae cum toto suo libello.

Et ista prae furore clamat Lutherus, conscius interim sibi, neminem  
 non videre tam stolide citata scriptura, quam turpiter prostratus  
 iaceat, infelix et miserabilis impugnator ecclesiae catholicae, cum toto  
 20 suo stolidissimo cerebello. Quod cerebellum tam stupidum est: ut in  
 ea re in qua stultitiam eius omnes rident:  
 adhuc se putet perquam festive ludere.

25 Ubi estis, inquit, domine Henrice?  
 producite vestrum egregium contra  
 Lutherum libellum. Quid asserit dominatio  
 vestra? septem sacramenta? Quibus doctrinis? Dei an hominum?  
 Audiat ergo Thomistica vestra dominatio iudicium, non Lutheri, sed  
 eius, quem tremunt cardines orbis, frustra colunt me doctrinis  
 hominum.

30 VIDISTI lector aliquando caecum: qui pugno se cuperet irritatus  
 ulcisci? Verum ut scire possit: quam in partem dirigat ictum: elicit

ab adversario vocem: quam prolatam protinus prosequitur verbere:  
 nisi citius alter se subduxerit: quam ut a caeco possit attingi. Hunc  
 caecum mihi videtur agere Lutherus: sed ita, ut nemo umquam magis  
 egerit ridicule. Nam quum rex appellatus  
 5 ei respondet ad dextram: ille contra ictum  
 proicit in sinistram. Itaque, specta quaeso, quam festiviter Lutherus  
 hunc ludit ludum. Cogita nunc videre te illum, obcaecatis oculis  
 intentum stare, ad ingerendum colaphum. Ubi estis, inquit, domine  
 Henrice? Hic in proximo. Adhuc invitat: ut accedat propius: nempe  
 10 ut feriat certius. Producite, inquit, vestrum egregium contra  
 Lutherum libellum. Produco. Adhuc propius. Quid asserit vestra  
 dominatio: an septem sacramenta? Assero. Adhuc propius paululum.  
 Quibus doctrinis? dei an hominum? Dei. Iam feriendi certus scilicet,  
 en quam recte librat ictum. Audiatur, inquit, ergo dominatio vestra.  
 15 Frustra colunt me doctrinis hominum. Spectatum admissi risum  
 teneatis amici: qui videtis hunc caecum inscium, quam longe aberravit  
 in diversam partem: sic exultare prae gaudio, ut compos non sit  
 sui: quasi egregium colaphum infregerit adversario?

20 Eat, inquit, nunc dominatio vestra, et  
 doceat dominationes papales hanc frustraneam  
 fidem, et religionem, eamque  
 sicut optime novit strenue defendat.  
 Verum ab ecclesia dei, os vestrae dominationis  
 impurum, et sacrilegum abstinete, quae non nisi verbum dei  
 25 admittit.

IMMO reverende pater potator, eat dominatio vestra: et dominabus  
 sororibus, quibus praedicatis confitenda virorum peccata: praedicate

perfidam fidem vestram, et religionem ruris Bohemici, ubi matrimonium  
 nihil est aliud. avam crescere et  
 multiplicare: et tamquam canes catervatim  
 coire in ecclesia. Haec est ecclesia: in  
 5 cuius gratiam vestra paternitas, quae procul exulat a Christi gratia:  
 negat matrimonium esse sacramentum: et ei prorsus tollit omnem  
 gratiam. Hanc ecclesiam indicat vestra paternitas, ecclesiam dei: et  
 per os illud impurum, et sacrilegum, veram ecclesiam Christi  
 blasphemat: et verbum dei labiis mendacio pollutis, contaminat:  
 10 et illa Christi verba, Frustra colunt me doctrinis hominum, velut  
 fulmen et tonitrus, adversus eos iaculamini: in quos non misit  
 Christus, ita fulminatis et intonatis ficticiis fulminibus et tonitribus  
 adversus regem: ut olim simili praestigio Cacus adversus Herculem.  
 Quamobrem seposito reverenter fulmine  
 15 dei, dominatio vestra, quae Caci gygantis  
 in morem, fictile fulmen efflavit: digna  
 profecto fuerit, in cuius os impurum, et  
 fulminibus efflandis patulum, Cacus debeat aliquis incacare.

20 Lepide refellit insulsum Lutheri lemma impugnantis  
 diuturnitatem fidei catholicae, illata  
 pariter diuturnitate supers titionis  
 iudaicae Turcharum et  
 gentilium. Cap. XIII.

25 SED postquam ita fulminavit scripturis: ilico ratione pugnat haud  
 minus corusca. Ait enim.

Denique adeo stultum est hoc regis propositum,  
 ut et communi hominum sensui  
 repugnet. Quis enim non rideat, pro fide nostra christiana  
 nihil afferrī roboris per tantos Sampsonas, nisi longitudinem temporum,  
 30 et multorum hominum usum?  
 Qua ratione probabimus Turcarum  
 fidem esse erroneam, quae iam ad millesimum fere annum durat, ante

orta quam Germania ad fidem conversa est? An hoc satis est, quod  
 dum per intervalla terrarum semoti, non cogimur cum illis disputare,  
 interim in nostris angulis, quicquid visum fuerit, licet nugari? Sic et  
 iudaeos quis non merito iustificet, huius invicti Thomistae exemplo,  
 5 cum tanta nos superent longitudine temporum? Et cur gentes per  
 orbem novam Christi fidem non dicentur, auctore Henrico  
 Angliae merito fuisse persecutas, cum idolatria eorum hoc pulcherrimo,  
 et Thomisticissimo argumento, recta et sana fides censi  
 debuerit, quod tot millibus annorum, tot regionibus populorum, tam  
 10 constanti usu firmabatur? Atque eodem Henrico magistro etiamnum  
 asseramus impiorum hominum errores, esse sanam fidem, quod ab  
 initio mundi illorum superarit multitudo, et diuturnitas, et potentia  
 piorum paucitatem et ignobilitatem. Summa. Si hominum dicta  
 valent articulos fidei, cur non et mea verba faciunt articulos fidei?  
 15 An ego non sum homo? Quin nova regis  
 sapientia, omnes homines omnium hominum  
 verbis credere cogamus. Et ipse rex  
 quoque, ut levetur cura scribendi, sequatur suum principium, et dicat,  
 Homo sum, qui sic loquor, ergo oportet sic esse, Non potest aliter esse.  
 20 Stulta, ridicula. et verissime Henriciana  
 et 'Thomistica' sunt haec, quasi res  
 spiritualis metienda sit praescriptionibus  
 temporum et usu, aut iure hominum, ceu fundus aut pratum aliquod  
 sit.

25 ECCE lector invincibilem rationem, quam magnificis verbis, quam  
 Phormiana fiducia phaleratam, cuius summa est: Publica Turcarum  
 fides, per aliquot aetates, et gentilium per aliquot annorum millia  
 perdurans est erronea: et item iudaeorum:  
 ergo et ecclesiae catholicae fides publica,  
 30 per quantumlibet multas aetates continuata,  
 potest esse erronea. O acumen iudaeis, turcis, et ethnicis  
 plaudendum: Sed quod Christianorum quivis videt, obtusius esse  
 pistillo. Nam quum infidelium superstitio regatur a diabolo: et  
 ecclesiae catholicae fides a deo: haec est nimirum argumentatio  
 35 reverendi patris, fides populi spiritu mendace gubernati, potest esse



falsa: ergo etiam fides populi gubernati spiritu veritatis potest esse  
 falsa. Haec ratio talis est et tam fortis Achilles: ut ego non audeam  
 congredi. Hac ratione, plane prostrati iacent omnes defensores  
 ecclesiae. Illa tamen ratio, quam subiungit Lutherus, et argumentatur  
 5 a simili: aliquanto est imbecillior: quum ita quaerendo  
 colligit. Si hominum, inquit, dicta valent articulos fidei: cur non et  
 mea verba faciunt articulos fidei? numquid  
 ego sum homo?

Huic argumento saltem responderi potest: quod reverendus pater  
 10 non est homo: quia nullus asinus est homo: quum ille vere sit asinus:  
 qui adhuc non intellegit, aliud esse hominum dicta: qui ex se loquuntur:  
 aut (quod ille facit) loquuntur ex diabolo: aliud, quod ecclesia  
 Christi loquitur: quae loquitur ex spiritu sancto. Non estis, inquit, vos:  
 qui loquimini: sed spiritus patris vestri: qui loquitur in vobis. Alioqui  
 15 quoniam Paulus erat homo: iam nisi Lutherus esset asinus: videtis  
 plane consequi, ex asinino Lutheri lemme: quod aequalis auctoritatis  
 esset Lutheri verbum, cum verbo Pauli. Sed hoc tamen loco, a solito  
 sibi more deflexit. Consuevit enim, quicquid potest obici dissimulare  
 totum: et praeterire silentio. Hic vero, sibi confisus, ausus est id  
 20 commemorare: quod sibi videbat obstare. Quod eum facile videtis  
 numquam fuisse facturum: si non habuisset in promptu machinam:  
 qua posset obicem illum protinus amoliri. Audiamus igitur, quid ait.

Si dixerint, inquit, suam praescriptionem  
 in hoc differre, ab illorum praescriptione,  
 25 quod papistarum sit ex spiritu sancto, illorum ex hominibus.

Hoc plane dicimus Luthere nos, quos tu papistas vocas: sed ecclesiae  
 fidem ex spiritu sancto, turcarum non ex  
 hominibus sed ex diabolo: quid tu nunc ad  
 ista respondes? Ridebit hoc, inquit, Turca. Ain vero? et tu, religiose  
 30 pater, habes pro ridiculo quicquid ridebit turca? Tam belle tuae

fidei, cum turcae fide convenit. O christianum pectus: qui nihil  
 probat: nisi quod turca comprobat. Nunc video, quare sacramenta  
 subsannas: videlicet ne turcis videare, non satis sapere. Ideo panem  
 restare vis et vinum in eucharistia: ne te  
 5 turca derideat. Eadem ratione, propediem  
 corpus et sanguinem ibi negabis in totum: quod alioqui certum est  
 fidem tuam non posse te satis probare turcis.

FIDEM et religionem, reverendi patris, abunde iam vides lector:  
 quum videas ad quam normam, fidei componat articulos: vide nunc  
 10 isti religioni plane parem sapientiam.

Dicet, inquit, Turca tibi: quum tu hoc  
 asseras absque scripturis, et sine signis,  
 mera hominum auctoritate, nihil magis efficis, quam si ego meam  
 quoque fidem esse ex deo dixerō. Et qua  
 15 facilitate tu meam contemnis: et ego assentiret  
 tuam contemno: et qua auctoritate tu  
 tuam probas, ego meam probo. Quid hic, inquit, fiet? nisi ut moriones  
 etiam intellegant, Henricianos Thomistas, pro sua insigni inscitia,  
 fidem nostram ludibrio exposuisse: et  
 20 omnium gentium impietatem stabilivisse,  
 dignos quibus os, lingua, et manus  
 praeciderentur, ne in aeternum aliquid,  
 aut dicerent aut scriberent.

DIXI ne divinum prorsus esse hominis istius ingenium: qui  
 25 viderit: quid turca dicturus sit, adversus eos: qui fidem ecclesiae  
 proponerent absque scripturis? Nam si quis afferat aliquid ex  
 scripturis: tunc facile videt reverendus  
 frater, nihil habiturum turcam: quod  
 contra possit hiscere. Ita semper consuevit scilicet scripturis christianorum  
 30 credere: praesertim si quis eas alleget, ita commode: sicut solet  
 iste reverendus pater. Etenim quamquam alleganti consuetudinem  
 nostram, turca non dubitaret allegare consuetudinem suam:  
 tamen alleganti scripturas nostras, numquam auderet scilicet allegare  
 scripturas suas, et adversus evangelium obicere Alchoranum: non  
 35 quin praeferat Alchoranum Machometi evangelio Ioannis: quod a

nobis ait esse vitiatum: sed ne pudefaceret reverendum patrem,  
 hominem suae fidei consonum apud papistas: qui fuerit tam stolidus,  
 et asinus ipsa asininitate asinior: ut crediderit Turcam crediturum  
 esse scripturis christianorum. Iam quicumque scribunt, quod turca  
 5 riserit, hos reverendus pater zelator fidei dignos clamat, quibus os,  
 lingua, manus praeciderentur: ne quid in aeternum aut dicant aut  
 scribant. Quis illum contra non dignum  
 putet: cuius os aureum, et lingua melliflua,  
 ipsum suadelaе domicilium, numquam conticescat: et manus ei  
 10 subserviens aureis ornatur annulis: ut semper aliquid aut dicat, aut  
 scribat huiusmodi: quod miseros mortales inter erumnas et labores  
 exhilaret: ac relaxet risu? modo sic usquam abesset impietas: ut adest  
 ubique stultitia. Sed tamen admiror: quo pacto hic acciderit: ut homo  
 natura clemens ac placidus, hoc loco praeter morem suum, sic  
 15 excandescat inclementer: ut os, linguam, ac manus praecidere velit  
 omnibus fidelibus: quicumque dicant aut scribant quicquam: quod  
 tamquam stultum rideant infideles. Nec interea quicquam aut linguae  
 aut digitis Pauli prospexit apostoli: qui se  
 fatetur, non tantum aliquid praedicare:  
 20 quod stultum videatur gentibus: verum  
 etiam nihil praedicare praeterea. Nos, inquit, nihil praedicamus  
 aliud, quam Iesum Christum, Iudaeis quidem scandalum: gentibus  
 autem stultitiam. At id quod in Luthero sequitur: haud facile dixeris,  
 magis ne stultum sit, an magis impium.

25 Sed hoc agit, inquit, inquietus satan: ut  
 nos a scripturis avocet per sceleratos  
 Henricos, et sacrilegos Thomistas: et fidem nostram super hominum  
 mendacia collocet. Neque enim iam  
 scriptura sancta opus est: si sufficit novis  
 30 hominum dictis, extra scripturam roborari.

Sagatiam esse putas lector: quod satanae propositum Lutherus  
 apprehendit? stupidior est: quam qui tantum possit. Sed diabolus  
 ipse dixit ei. Neque enim intimior Christo fuit eius evangelista

Ioannes: quam internus est satanae ipsius  
 cacangelista Lutherus: qui non una cena,  
 sed diebus ac noctibus incubat, super pectus diaboli: immo diabolus  
 non incumbit: sed infigitur ipsius pectori. Alioqui non potuisset tanta  
 5 cum auctoritate pronunciare: quod fides catholica de sacramentis  
 super hominum mendacia collocetur: quamquam iam evicit: ne  
 collocari possit super spiritum sanctum: nisi quatenus id probatur  
 apertis scripturis: videlicet ne id non approbet turca: qui nihil  
 10 admittit absque scripturis nostris. Ceterum prolata scriptura  
 Christianorum, protinus Turca sese sentit et fatetur victum. Qua in  
 re si Lutherus non credas: paratus erit iusiurandum dare: Turcarum  
 quemlibet omnia Christianorum sacramenta, articulos omnes fidei  
 christianae, quatenus probari possunt scripturae christianae testimoniis:  
 15 non minus credere ac venerari: quam credit ac veneratur  
 Lutherus ipse. Neminem ego certe credo  
 tam incredulum: qui istud Luthero non  
 modo iuranti, sed vel iniurato non sit crediturus. Verum sine  
 scripturis, neque Turca quicquam credit, neque Lutherus: ita ipsis  
 20 inter se belle convenit. Quam in rem hanc pro se rationem reddit:  
 quod iam scriptura sancta non esset opus: si sufficiat novis  
 hominum dictis extra scripturam roborari.  
 Hic cogit me reverendus pater addubitare: an quisquam sit usquam  
 turca tam stultus: ut dignetur hac sane parte, socius esse Lutheranae  
 stultitiae: qui non videt: cuiusmodi sit ista consequentia. Ecclesia  
 25 Christi gubernata spiritu Christi, tradita certa fide, servat Christi  
 sacramenta: ergo ecclesiae Christi nihil opus est scripturis. Si  
 Lutherus fuisset evangelistarum temporibus: hac ratione deterrisset  
 eos a scribendis evangelis. Nam si tum ea, quae audiebant homines:  
 ab hominibus tradita credebantur illis: qui ea narrabant a deo: atque  
 30 ita fidem faciebant audientibus: quid opus foret evangelistas, eorum  
 quicquam scriptis comprehendere? An ideo videlicet, quia Christus,  
 qui hanc operabatur in ecclesia sua fidem: aut aliquando foret prorsus  
 deserturus ecclesiam, aut fidem: quam sine scripto fecerat: sine

scripto conservare non poterat: quum ipse priusquam nasceretur:  
 legem promississet semet, inscripturum cordibus: et in carne natus,  
 cum ecclesia futurum, usque ad consummationem seculi? Hac  
 ratione non puto futuros fuisse, sic deterritos evangelistas: ut fuerint  
 5 supersessuri a scribendis evangeliis. Immo et alia multa, et hoc fortassis  
 etiam respondissent. Numquam defuturum quidem ecclesiae suae  
 Christum: cum qua se promisit ipse, ad  
 finem usque seculi permansurum. Numquam  
 defuturum spiritum paracletum, qui ecclesiam ducat in omnem  
 10 veritatem. Ita vera sacramenta, nec veros articulos fidei ullo umquam  
 tempore perituros ecclesiae catholicae: nec errorem in rebus tam  
 necessariis exoriturum, quod sponsae spem ac fidem in species inanes  
 avocet, atque devertat, a sponso: etiam si ipsi nullam umquam litteram  
 scriberent: se tamen haud frustra scripturos esse: etiam si omnibus  
 15 omissis articulis, et sacramentis fidei: quae deus sine scripto, et doceri  
 fecerat: et erat servaturus vitam Christi, ac miraculorum partem  
 aliquam: atque e tam multis aliqua complecterentur: quae Christus  
 docuit, ad formandos in grege suo mores, ac virtutes dignas Christiano  
 pectore.  
 20 DEINDE cuius impudentiae est, appellare ecclesiae sacramenta  
 nova dicta hominum: quum illa praeter Lutherum dubitet nemo,  
 ipsis esse evangeliorum libris antiquiora? Ita sacramentum ordinis  
 vocavit novum. Novum dixit: quod panis credatur in carnem versus,  
 et vinum in sanguinem: et illud ait natum esse intra annos trecentos:  
 25 quum rex hominis impudentiam, vetustissimorum patrum testimoniis,  
 pulcherrime redarguit in utroque: nec minus in ceteris  
 sacramentis omnibus.

Rursus ostendit: quam absurde Lutherus  
torqueat scripturas: quibus probare  
conatur, nihil certo credendum  
quod probari non possit evidente  
scriptura. Caput. XIII.

234

5

SED IAM rursus revertitur ad scripturas:  
et nova praefatione anathema crepat, ac  
maledictum, os eius maledicum et maledictione  
plenum, si quis aliud ponat fundamentum: praeter id quod  
positum est. Quasi id quisquam faciat, praeter ipsum, qui  
Christianam fidem conatur, positus fundamentis suis, e fundamento,  
quod est Christus, evertere. Sed age, videamus quale fundamentum,  
quam apte concinnet ad aedificium suum.

10

15

Paulus, inquit, pri. Cor. ii. magna sanxit  
auctoritate fidem nostram, oportere niti  
in verbis dei, ubi dicit, Sermo meus, et praedicatio mea, non in  
persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus,  
et virtutis fuit, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in  
virtute dei.

20

25

30

QUIS audivit unquam morionem tam nihil cohaerentia, tam nihil  
ad propositum producere? ita satis putat dicere: quicquid ei venit in  
buccam: tantum cavet, ne taceat. Probaturum sese iactitans, nihil  
auctoritatem obtinere certam, praeter scripturas. Producit illud apostoli:  
nemo potest aliud fundamentum ponere: praeter id quod positum  
est. Quasi id fundamentum, quod  
positum est: esset scriptura: et non quod  
apostolus ilico subiungit Iesus Christus. Et  
ibi suis anathematis, ac maledictis, subtracto Christo, nititur nos  
adigere: ut scripturam credamus illud esse fundamentum, non  
Christum: Aut idem esse scripturam quod Christum: tamquam idem  
sit liber de Caesare scriptus, quod Caesar. Deinde, quum nemo neget  
innitendum esse verbis dei: sed ex his dicamus, aliud esse scriptum,  
aliud pari auctoritate non scriptum: et utrique pari fide credendum:  
quorum ille tacite contemnit alterum, alterum contemnit aperte: ille

- velut rem magnam producit, ad fulciendum dei verbum, illa verba Pauli: quae ne verbum quidem ullum faciunt de verbo dei. Sed de ostensione spiritus et virtutis dei. Et iam, velut re gesta strenue, conviciis invadit regem: quod fundat humanae sapientiae persuasibilia verba. Quasi ipse toti terrarum orbi miraculis inclarescat: quibus an suam praedicationem approbarit Bohemis: adhuc non audio: sed persuasibilia humanae sapientiae verba, nemo illi (quod sciam) potest imputare: a quibus nullus abest morio longius: quod quo longius progreditur: eo reddit manifestius.
- 10 Proinde nos, inquit, nostrae ecclesiae defensori adhaeremus, qui dicit Mat. xvi. Aedificabo ecclesiam meam, non super longitudinem neque super multitudinem hominum, neque super oportet sic esse, neque super usum, aut dictum sanctorum. Denique nec super Ioannem Baptistam, 15 nec super Eliam, nec super Hieremiam, aut ullum ex prophetis, sed super solam et solidam petram, super Christum filium dei. Hoc est robur nostrae fidei, hic tuti sumus, adversus portas inferi. Hic mentiri et fallere non potest. Omnis 20 homo mendax. Et sancti cum extra hanc rupem agunt, aut dicunt, homines sunt, purissimum, et solum ac certum verbum dei, nostrae fidei supponendum est. Si quis, inquit, loquitur quasi sermones dei, Et omnis prophetia sit analogia fidei. Ro. xii.
- 25 VIDE quaeso, vel ex hoc loco lector: quo rem perducatur impius, probaturus nihil esse credendum, praeter evidentem scripturam. Allegat istud: quod ecclesiae fides aedificata sit, super solum Christum: et inde concludit, solum Christi verbum esse credendum. Quod, ne quis interpretari possit, ita dictum: tamquam nihil credendum sit: nisi quod scriptura sacra complectitur: propterea quod nullum 30 aliud verbum dicat certum esse: quod dicatur a deo: sensum istum plane tollit ipse fidem auferens, non solum ecclesiae consuetudini, et universis antiquis patribus: sed nominatim quoque Ioanni Baptistae, Heliae, Hieremiae, et ceteris prophetis omnibus, et rationis suae

consequentia omnibus prorsus apostolis:  
 Haeretico Fausto longo intervallo deterior:  
 qui ex illo Christi verbo omnes, qui ante venerunt, fures sunt et  
 latrones, Mosen et prophetas omnes habuit pro maleficis. Hic vero  
 5 fidem abrogat, et antiquae legis et evangelii proceribus prorsus  
 omnibus nihil relinquit certum: nisi forte quae legitur Christus ipse  
 dixisse: idque tam evidenti sententia, ut nulla possit in verbis esse  
 controversia. Nam ceteros universos reicit, tamquam dubios: quod  
 et mentiri potuerint: quum essent homines: et incertum putat esse:  
 10 quum illa scriberent: in petra ne an extra petram steterint. Vides ergo  
 lector hominis impietatem summam: qui suas haereses, quum sciat  
 omnium sanctorum testimonio plane damnatas esse: nihil agit aliud:  
 quam ut vicissim sanctorum omnium  
 auctoritatem tollat: Christo paulisper  
 15 deferens, donec ad plenum perveniat  
 iniquitas: tum eius maiestatem recta procul dubio temeraturus, quam  
 interim quoque oppugnat oblique. Nam si sic mendax est omnis  
 homo, et tam incertum, an quae sancti locuti sunt, aut scripserunt:  
 fecerint illud stantes in petra fidei: ut etiam dubius auctor sit Helias,  
 20 Hieremias, et Ioannes Baptista: certe sequetur: ut dubius itidem  
 auctor sit Ioannes evangelista. Nam eodem omnino spiritu et illi  
 loquebantur et iste. Sed nunc vicissim vide mirificam Lutheri  
 stultitiam. Nam postquam id probavit: quod nullus umquam negavit:  
 Christum ecclesiam suam fundasse supra petram: a qua petra (quod  
 25 nemo nescit) in Barathrum Lutherus excidit.  
 Rursus ex eo, quod Christus unus  
 est fundamentum: probat solam scripturam esse fundamentum:  
 quasi verbum dei unigenitum, sit verbum quodlibet, in sacris litteris  
 perscriptum. An non isti necesse est, aut nihil esse frontis, aut nihil  
 30 esse cerebri? Et tamen quum illud comma clausisset, illo Pauli verbo:  
 si quis loquitur quasi sermones dei. Et item illo, omnis prophetia sit  
 analogia fidei: quorum neutrum quicquam ei dicto cohaeret: cui  
 utrumque subnectit: iam velut acie profligata  
 suam sibi victoriam bucinat.



Haec sunt, inquit, roborata nostra,  
 adversus quae obmutescere coguntur,  
 Henrici, Thomistae, papistae, et quicquid est fecis, sentinae, et latrinae  
 impiorum, et sacrilegorum eiusmodi. Neque habent, quod possint hic  
 5 respondere: sed confusi et prostrati iacent, a facie verborum istius  
 tonitruum, et expectamus quoque, quid adversus hec mutire audeat rex  
 nugigerulus iste, cum omnibus suis  
 sophistis. Stat enim fixa sententia, fidem  
 non deberi, nisi certo verbo dei, sicut  
 10 dicit Ro. x. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi,  
 proinde quicquid ultra verbum dei producit, hoc nostri sit arbitrii  
 ceu dominorum, credere, non credere damnare probare sicut scriptum  
 est, omnia vestra sive Apollo, sive Cephas, sive Paulus, vos autem  
 Christi.

15 Consideremus lector, quorsum tendat hoc totum Lutheri fulmen et  
 tonitrus: Christus aedificavit ecclesiam suam super se. Si quis  
 loquitur quasi sermones dei: omnis prophetia sit analogia fidei: fides  
 ex auditu, auditus autem per verbum Christi, quid ex his omnibus  
 tandem confecisti Luthere? Hoc, inquit,  
 20 confeci: quod stat fixa sententia: fidem  
 non deberi nisi certo verbo dei, et proinde  
 quicquid ultra verbum dei producit: hoc  
 nostri sit arbitrii ceu dominorum, credere, non credere, damnare,  
 probare.

25 VIDE iam, quam egregius fulminator ac tonitor sis: cui, si  
 quis haec concedat omnia: tuum tamen fulmen ac tonitrus neminem  
 prorsus attingeret, praeter te. Te vero  
 totum, tamquam Semelem subito perflaret  
 incendio. Rex, si potes meminisse (nam nullus lupus magis obliviosus  
 30 est: si toties oblivisceris: quoties ad ea, quae te maxime tangunt:  
 nihil omnino respondes) verbum dei probavit aliud scriptum esse,  
 aliud non scriptum: sed vel ab apostolis tradita quaedam, vel a

Christo ecclesiae suae dicta divinitus.  
 Multa itaque scripto comprehensa: et  
 multa adhuc nullo esse scripto comprehensa. Sacramenta septem: et  
 reliquos articulos fidei: partim scripto, partim non scripto, sed tamen  
 5 dei verbo fulciri: utrumque verbum ex aequo verum, ex aequo  
 certum, ex aequo venerabile. Haec si vera sunt: quamquam cetera  
 omnia concederentur (quod tamen non conceditur) tui esse arbitrii,  
 in quibus credendis, non credendis, damnandis, probandis, posses  
 tamquam rex ac dominus regnare: tamen de sacramentis interim, et  
 10 publicae fidei articulis, nihil prorsus quicquam confecisses: nisi aut ea,  
 quae dixi, falsa sint omnia: aut aliqua  
 saltem pars. Negabis ergo aliud dei verbum  
 scriptum esse, aliud non scriptum: et  
 contra evangelistam contendes scripta esse omnia: contendes nihil  
 15 omissum, saltem e necessariis articulis: quum praecipuum evangelistam  
 videas praecipuum omisisse sacramentum? quum Paulum  
 audias, pleraque sine scripto tradidisse: quum Iacobus clamet  
 apostolus: Suscipite insitum verbum dei: quod salvare potest animas  
 vestras: quum scriptura testetur: Unctio eius docebit vos. Negabis  
 20 utrumque ex aequo verum, et scriptum verbum et non scriptum:  
 quum sit utrumque dei? Sed negabis videlicet verbum dei: quod  
 scriptum non est, certum esse cuiquam posse, vel cognitum. At ipse  
 iam olim fassus es, hoc ecclesiae datum esse a deo: quod potest  
 discernere verbum dei, a verbis hominum: Ergo cum utriusque  
 25 generis verba dei sint, et scripta videlicet, et non scripta: potest  
 ecclesia per te quoque in utroque genere verba dei discernere, a  
 verbis hominum: Ergo per te quoque, verbum dei non scriptum  
 certum est a verbis hominum. Nec est  
 causa: cur certior esse possit ecclesia  
 30 Christi hodie: quare evangelium Ioannis  
 iam olim scriptum, sit Ioannis: quam quare quodvis sacramentum  
 habeat gratiam ex verbo dei non scripto: quod si neges ecclesiam  
 catholicam quam tu vocas papisticam, hoc habere, quum aliquam

ecclesiam hoc habere fatearis: profer aliquam praeter hanc, quam  
 appellas papisticam: quae verba dei non scripta discrevit a verbis  
 hominum. Immo profer aliquam praeter hanc quae tibi, non dico  
 maioribus tuis, sed tibi discrevit verba dei scripta a scriptis verbis  
 5 hominum. Sed ne te, nimium tuis verbis  
 urgendo, reddam deteriolem: et te, quod  
 semper soles, revocare cogam, quicquid  
 dixisti bene: omitto, quod tu concessisti: quaero, quid ad illud dicis:  
 quod confessus Petrus ecclesiae nomine: Iesum esse Christum filium  
 10 dei vivi: protinus audivit a domino: Beatus es Simon Bar Iona: quia  
 caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in caelis est.  
 AGE Luthere, hoc verbum. quod confessus  
 est Petrus: quibus evidentibus scripturis  
 didicit: quum nec ulla scriptura  
 15 iudaeos, satis evidenter id docere potuerit:  
 nec Petrus idiota piscator, ulla fere litteras didicisset: quum  
 illud certe, quod confessus est: Christus eum dicit, non scripto verbo  
 foris, sed patris interim, infundente se spiritu didicisse. Non fuit ergo  
 certus, hoc verbum esse dei: propterea quod sensit, non legit: quod  
 20 intus audivit non extra? quod affers: ergo fides ex auditu: quaeso te,  
 an non intus audivit Petrus quod intus locutus est deus? An dumtaxat  
 auditur: quod scribitur? An prius quam scripta sunt evangelia  
 Christiani non audierunt apostolos? Ecce iam nugigerule Luthere  
 quam nihil opus est, ad ista tua praeclara robora quemquam respondere:  
 25 quae citra nostrae causae praeiudicium, citra ullum commodum  
 tuae, licet universa concedere. Tam acer es Luthere disputator?  
 tantus fulminator es: tam terribilibus intonas  
 tonitribus? Reponantur igitur ab ore  
 sacrilego, in suum locum divinum fulgur  
 30 ac tonitru. Deinde in os illud impurissimum, non tantum meiere fas  
 est. Quod quanto furore fertur in praeceps, vel illud ostendit: quod  
 sequitur.

Scriptum est, inquit, omnia vestra, sive  
 Apollo, sive Cephas, sive Paulus, vos  
 autem Christi. Si solius Christi sumus, quis est stolidus rex, qui suis  
 mendaciis nos papae facere molitur? Nos non sumus papae, sed  
 5 papa noster est, Nostrum est non iudicari  
 ab ipso, sed ipsum iudicare. Spiritualis  
 enim a nemine iudicatur, et ipse iudicat  
 omnes: quia verum est. Omnia vestra,  
 etiam papa, quanto magis sordes istae, et labes hominum Thomistae  
 10 et Henrici.

Dispaream, si phrenesis ipsa, tam phrenetica sit, aut furor ipse tam  
 furiosus: quam sit istud lepidum Lutheri capitellum. Papa noster est,  
 inquit: ergo nostrum non est ab ipso iudicari, sed ipsum iudicare.  
 Eadem ratione, medicus noster est: ergo  
 15 non est nostrum ab ipso curari: sed ipsum  
 curare. Et doctor discentium est: ergo non est ipsorum ab illo  
 discere, sed docere eum.

IAM quod ait nostrum est, non iudicari a papa: sed ipsum iudicare.  
 Quid sibi vult illud, nostrum est: an universorum dicit? an singulorum?  
 20 Si universorum dicit: nihil pro se dicit: quia universitas  
 ecclesiae pro papa est, adversus illum: at in sacramentorum causa  
 multo minus iuvat illum: ubi et populus et papa tam praesentes quam  
 praeteriti, sunt pro sacramentis adversus illum: Sin singulorum est,  
 iudicare de papa, de sacramentis, de vero sensu scripturae sacrae. Iam  
 25 quum ex tot iudiciis, unius prope Lutheri iudicium sit ex altera  
 parte: qua praerogativa debet eius unius calculus, ceterorum  
 omnium calculis praeponderare? Quia  
 spiritualis, inquit, a nemine iudicatur: et  
 ipse iudicat omnes: quia verum est omnia vestra sunt: etiam papa.  
 30 Non videris tibi lector, audire deliramenta? Solus Lutherus ergo  
 spiritualis est? aut solus papa non est spiritualis? ut aut Lutherus  
 omnes possit iudicare: et iudicari prorsus a nemine: aut papa  
 iudicari debeat ab omnibus: et iudicari neminem? Quem non

delectet hominis tam suaviter insanientis amentia: qui se non videat:  
 quicquid eblatterat in papam: idem etiam eblatterare in Petrum  
 ipsum ac Paulum? Nam omnia, inquit, vestra sunt: non dicit papa,  
 sed Apollo, Cephas, et Paulus. Quamobrem sicut Lutherus ait, nos  
 5 non sumus papae: sed papa noster est: nostrum est ergo, non iudicari  
 a papa: sed ipsum iudicare: quia spiritualis omnia iudicat: et iudicatur  
 a nemine: ita necesse est ei dicere, nos non sumus Petri aut  
 Pauli: sed Petrus et Paulus nostri  
 sunt: nostrum est ergo non iudicari a  
 10 Petro et Paulo, sed iudicare Petrum et  
 Paulum. Immo adeo non nostrum est, sed meum inquiet, quia spiritualis  
 iudicat omnia: et a nemine iudicatur. Iudicabit ergo Lutherus  
 homo spiritualis hac ratione non Thomistas et Henricos, sed Petrum  
 et Paulum, et reliquos omnes apostolos.  
 15 I nunc lector: et nega e Iovis capite natam Minervam unam:  
 quum istius caput unum videas, tot parturire phreneses.

Quamquam ego stultus, inquit, sum, et  
 satis ineptus, qui amentibus istis, et  
 deploratis cerebris, toties frustra inculco, et surdis, induratisque  
 20 capitibus, sine fructu semper incanto, Traditiones hominum, seu  
 diuturnum usum in rebus fidei nihil valere.

SATIS profecto stultus es (ut dicis) nec ineptus modo, sed et  
 amens, et insanus, et cerebri deploratissimi: qui sine fructu velut  
 cuculus eandem semper cantilenam canas: Traditiones hominum in  
 25 rebus fidei nihil valere: quum ita surdus Surdus Lutherus  
 sis et indurati capitis: ut millies tibi ad  
 aures inclamatum non audias dei traditiones esse: quas tu vocas  
 traditiones hominum: neque ad ea quicquam respondes: quibus ea  
 quae dicis fuerunt ante diluta quam dicta.

30 Quoties, inquit, dixi, etiam Augustini  
 sententia solis canonicis libris eum  
 deberi honorem: ut firmissime credatur nihil erroris in illis esse,

ceteros, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non aequo honore dignos esse.

250

DE diuturna ecclesiae fide, quam dixerat nihil valere: non affert probationem: Sufficit enim adversus illud Christi verbum: Ego  
5 vobiscum sum usque ad finem seculi. Et item illud, quod spiritus  
paracletus, ducet ecclesiam in omnem veritatem: et quod Christus  
oravit: ne deficeret fides ecclesiae.  
Adversus haec inquam omnia sufficit,  
quod talia dicturos irriserit turca. Sed ne  
10 quis moveatur quicquam auctoritate sanctorum patrum: affert illud  
Augustini: ceteros libros extra scripturam canonicam, non aequo  
honore dignos esse, quantalibet sanctitate auctores eorum, doctrinaque  
praepolleant. Quasi quisquam sancti cuiusquam dictum sic  
alleget: tamquam scripturam sacram. Et tamen haud dubito, eundem  
15 Augustinum, si quid apud omnes ante se sanctos patres legisset,  
praesertim cum sui temporis fide consentiens: numquam fuisse  
dubitaturum: quin id verum esset: et Christianae fidei indubitatus  
articulus. Nam eorum scripta, qui fuerunt  
ante nos: suorum temporum fidem nobis  
20 repraesentant. Neque enim aliter cum  
defunctis loquimur: ut qua fide fuerint, possimus agnoscere. Ex  
eorum ergo libris, qui vixerunt: illud deprehendimus, atque ita comperimus,  
hanc fidem, quam Lutherus impugnat: non esse, quod ille  
mentitur, novam: aut alicuius nationis propriam, sed multis seculis,  
25 totius ecclesiae publicam: quam veram esse, et in re tam magni  
momenti, non posse errare et falli, promisit ille, qui dixit: Paracletus,  
quum venerit, ipse vos ducet in omnem veritatem. At Lutherus  
contra, Scriptura, inquit, exigit: ut nulli credatur, nisi soli sibi. Rogo  
te Luthere, ubi hoc exigit scriptura? profer scripturam, per quam  
30 spiritus sanctus prohibet, ne quis ipsi credat, nisi proferenti scripturam.  
Quum descendit super apostolos,  
Lutherus ne deo quidem sine  
syngrapha credit nihil ne docuit omnino, sine scriptura?  
omnibus de rebus exegeerunt ab illo

scripturam? Uni tibi Luthere, tam male fidei est spiritus sanctus: ut  
 ei nihil sis crediturus absque syngrapha? HAEC sunt, quae piis  
 ac fidelibus, hoc est, ut ille vocat, surdis aspidibus incantator iste,  
 semper frustra cecinit: qui sine fine, inquit, suas nenas iterant et garriunt.  
 5 Augustinus, aut Hieronymus sic dixit: Ambrosius sic dixit: ergo  
 Lutherus est haereticus: quia Augustini vel Ambrosii dicta sunt  
 articuli fidei. Ego certe fateor illam consequentiam non valere: sed  
 hanc opinor valere. Nemo Luthero sic umquam dixit: ergo Lutherus  
 est impudenter mendax. At nec hanc negare potest ipse Lutherus.  
 10 Lutherus negat ea, quae spiritus sanctus ecclesiam docuit, esse  
 articulos fidei: ergo Lutherus est haereticus.

Quin et isti porci Thomistae, inquit,  
 coguntur concedere, saepius sanctos viros  
 errasse, ut eorum auctoritas pro stabilienda  
 15 fide, et fulcienda conscientia, etiam communis sensus iudicio  
 satis esse non possit.

VAH vix tandem sensi stolidus: cur sibi tantum sumat Lutherus:  
 cur sibi magis de scripturae sensu credi velit, ac fide: quam  
 universis sanctis patribus. Nunc rationem reddidit: videlicet, quia  
 20 illi saepius erraverunt: ille errare non  
 potest.

IDEO si quid in quaestionem trahat ipse solus, de quo ceteri  
 consentiant omnes: ceterorum auctoritas omnium non sufficit ad  
 fulciendam conscientiam. Quare? quia nemo est aliorum: qui non  
 25 possit errare: sed auctoritas Lutheri sufficit. Quare? quia ille non  
 potest errare: tamquam caecus aliquis diceret: Nemo est fere videntium:  
 qui non erret aliquando in rerum coloribus: ego errare non  
 possum. Si quis ergo nolit falli, de coloribus: diffidat ceteris  
 mortalibus universis: atque uni credat mihi: et haec est, inquit,  
 30 adversus regia illa Thomistarum principia, generalis mea  
 responsio: quam non sani esse hominis: non sanus iuret Orestes.

Repetit quaedam absurda Lutheri dicta  
quae ab ipso in principio  
posita, auctor in hunc locum  
distulit. Cap. XV.

254

5 QUAMQUAM TE iam diu lector, fastidire scio totum genus, generalis  
responsionis istius: quam vides esse tam stupidam: ut non mirari  
non possis: quae nam intemperiae temperarint hominem: quum eum  
non puduerit tanta cum iactantia, tam insane respondere, tamen  
orabo te: ut aliquid adhuc taedii devores: dum verba quaedam ab  
10 illius libelli principio, in hunc dilata locum, recognoscas: ne ille me  
causari possit imitari se: et si quid ille robustum putat, id praeterire  
silentio: aut tu me lector censeas, vel tam obliviosum: ut non  
meminerim: quod initio sum pollicitus:  
aut tam malae fidei: ut nolim, quod  
15 promisi praestare. Porro quo minori tibi  
res fastidio sit futura, Lutheri stultitia, quae per singulas paene syllabas  
asininas profert auriculas: tibi levabit taedium. Ait igitur hunc in  
modum.

20 NONDUM intellegere possunt papistae,  
pro qua re, mihi cum ipsis bellum sit.  
Frustra tot libellis a me editis, et palam testantibus, hoc solum a me  
quaeri, ut divinae litterae solae regnent, sicut dignum et iustum est,  
humanae vero, inventiones et traditiones e medio tollantur, ceu  
nocentissima scandala, aut exsecto veneno, et evulso aculeo, id est vi  
25 cogendi et imperandi, et conscientias illaqueandi, erepta: liberae et  
indifferentes tolerantur, ceu quaelibet alia pestis, aut infelicitas  
mundi.

NIHIL audis hic lector novi, sed idem, quod ante decies inculcatum,  
in generali eius responsione: decies, ut vidisti, revictum est  
30 et confutatum: ne quid hic opus fuerit,  
eadem rursus repetere: tantum libuit  
admonere te, et sub oculis ponere:



cuiusmodi res vocet ille, inventiones et traditiones hominum. Nam  
eas ipse commemorat paulo post: quum ait:

256

Alterum genus de his rebus est, quae sunt  
extra scripturam, scilicet,  
5 De papatu, De consiliorum decretis,  
De doctoribus, De indulgentiis,  
De purgatorio, De missa,  
De Academiis, De votis monasticis,  
De episcopis idolis, De traditionibus hominum,  
10 De cultu sanctorum, De sacramentis novis,  
Et si qua sunt similia scilicet zizania, per Satanam, principatu idoli  
sui Romani, super agrum domini seminata:  
quibus ecclesia, non modo potest  
saluberrime carere, verum etiam. ne  
15 consistit quidem, nisi careat, aut pro libero arbitrio utatur.

SAEPE audisti lector, eum omnia pro traditionibus hominum  
ducere: quaecumque non sunt evidentibus comprehensa scripturis.  
Nunc velut speciminis loco, vides eum producere, non papatum  
tantum, aut indulgentias, aut omnia monachorum vota: quae ipsa  
20 tollendo, satis se sacrilegum esse docuisset:  
sed decreta consiliorum, sed doctores  
sacros, sed sacramenta, purgatorium, cultum  
sanctorum, et ipsam denique missam: quam alibi vocat merum  
portentum, idolum, lueram, mendacium, et ipsissimam abominationem,  
25 in loco sancto stantem. Haec igitur omnia, nisi saltem libera  
sint, et indifferentia: censet ne consistere quidem ecclesiam posse: sic  
autem posse utrumque consistere: non aliter tamen, quam consistit  
homo cum peste. Quamobrem multo fore salubrius, ut velut  
nocentissima scandala, tollantur omnino, papatus, doctores, Academiae,  
30 episcopi, consilia, monachi, traditiones hominum, sanctorum  
cultus, ac missa, sacramenta, spes omnis indulgentiae, et metus  
purgatorii. Nam tum demum ecclesiam  
fore felicissimam, si sublato papatu, et  
consiliorum decretis, et monasticis votis, et

Academiis omnibus, et omnibus omnino doctoribus, populus neque legibus regatur: neque pareat magistratibus: neque doctores audiat: sed adeo liber sit, et effrenis, evangelica libertate scilicet: ut neque cogatur quisquam: neque iubeatur: neque consulatur: neque doceatur quicquam: nec sanctos colat: et sacramenta contemnat: missam vero, hoc est sanctis ceremoniis oblatum Christi corpus, abominetur etiam: quod quo possit impunius: credat tantum horum nihil libero se arbitrio facere: sed omnia mala imputet deo: firmam habeat fidem in promissione dei: quicquid omnino fecerit, salvum se fore per baptismum: ita si crediderit: beatus erit et felix. Namque metus omnes, et inexorabile fatum subiecit pedibus, strepitumque Acherontis Averni. Nam purgatorium, nihil miror, si non metuit: non est profecto, cur metuat: qui isthac fide fuerit: et ad istum vivat modum.

15                    Refellit Lutheri calumniam: qui mentitur, falso regem imputasse ei haeresim hanc: fidem solam sine operibus ad salutem sufficere. Cap. XVI.

20                    SED HOC in loco non est omittendum: quod Lutherus calumniatur principem: quasi haeresim hanc, falso imputet ei: Fidem solam sine operibus ad salutem sufficere. Et hoc dicit, regem falso de se dicere: quum ipse rursus idem dicat, in isto eodem libro: quo respondet regi: in quo verba sunt eius eiusmodi.

25                    Unus furor est huius populi sacrilegi, velle per opera coram deo agere, et non sola fide. Unde necesse est Christum negari et fidem eius exinaniri.

QUID his verbis apertius? et tamen iste, quum idem rursus ingeminet: non dubitat, ac si numquam id dixisset: verum in contrariam

semper sententiam disputasset: regem nebulo conviciis impetere: quia dixit, eum id dixisse pridem: quod iam dicit denuo.

260

5 Progenies, inquit, ista viperae, ingenium  
naturae refert, et parentum suorum  
exemplum imitatur. Sic enim et Paulo, cum docuisset sola fide sine  
operibus iustificari, omnes filios Adam: ut scribit Ro. iii. Qui dicunt  
nos docere, faciamus mala, ut veniant bona. Sed quod manet illos  
iudicium? quorum, inquit, damnatio  
10 iusta est. Quid et ego meo Basilisco  
dicam, de suo mendacio, nisi idem  
damnationis iudicium?

QUIS non plane sit impius: qui Lutherum damnet, hominem  
Pauli sodalem: et qui non aliter stilum temperet: quam quorum  
linguam temperabat deus? Nam et rursus ait paulo post.

15 Orbi toti constat me de fide, de caritate,  
de operibus, semper eadem docuisse, et  
scripsisse, licet usu et studio, de die in  
diem magis ac magis proficerem, et easdem res nunc sic, nunc sic  
tradiderim, aliquando clarius, alibi locupletius, alibi copiosius, et  
20 varie tractarem, quomodo et sacrae litterae easdem res tractant.

ECCE vir sacerrimus, qui nobis novas tradit sacras litteras: quibus  
eam debeamus reverentiam: ut si quid manifeste blasphemet deum,  
aequi bonique consulamus: certi nos potius falli, et sensum tanti patris  
non posse capere: quam virum sanctum, et qui certum se dicit, suam  
25 habere doctrinam de caelo, quicquam sentire perperam: atque idem  
potius credamus, et album esse simul et nigrum, quam divum  
Lutherum sibi quicquam esse contrarium. Nam si Paulo, qui ne quis  
ansam male sentiendi capiat: interpretatur se, non possit imputari:  
quod male senserit: Cur non itidem Lutherus excusetur: qui damnatus  
30 malae sententiae, eandem identidem repetit? Et si de Paulo  
recte sentimus: cuius pietas facit: ne dubitemus eum in verbis dubiis,  
indubie recte sensisse: cur non impetret Lutherus: ut cuius impietas

reddit non ambigua modo: verum eius etiam benedicta propemodum  
iure suspecta interpretemur in bonam partem, quaecumque scribit  
aperte male.

262

5 Quam stolide Lutherus tergiversetur, de operibus, et  
fide, impudenter fingens, verba sua perperam  
calumniari principem. Ca. XVII.

NAM DE operibus et fide quid sentiat, ne quisquam dubitare possit:  
subscribam ea: quibus prudentissimus princeps istam nebulonis  
impietatem elegantissime redarguit.  
10 “NON EST, inquit, hoc Luthero  
novum, in rebus notis. tanavam novis nugari.  
Qui, postquam hanc fidem verbis multis ostendit: deinde  
fidei divitias, in hoc extollit: ut nos reddat pauperes bonorum operum:  
sine quibus, ut beatus Iacobus ait: fides  
15 omnino mortua est. At Lutherus sic fidem  
nobis commendat: ut non solum permittat nobis vacationem ab  
operibus bonis: sed etiam suggerat audaciam, qualiumcumque  
facinorum. Ait enim.

20 Iam vides, quam dives sit homo christianus,  
sive baptizatus, qui etiam volens,  
non potest perdere salutem suam, quantiscumque  
peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt  
damnare, nisi sola incredulitas.

25 “O vocem impiam, et omnis impietatis  
magistram, ita per se exosam, piis auribus:  
ut non sit opus eam redarguere. Ergo non damnabit adulterium? non  
damnabit homicidium? non periurium? si tantum credat, se quisquam  
salvum fore, per virtutem promissionis in baptisate?  
Nam hoc dicit apertissime: neque quicquam corrigunt hanc sententiam,  
30 verba quae statim subiungit: immo verius augent: ait enim:

Cetera omnia si redeat, vel stet fides,  
 in promissionem divinam baptizato factam,  
 in momento subsorbentur per eandem  
 fidem, immo veritatem dei, quia se ipsum negare non potest, si tu  
 5 eum confessus fueris, et promittenti fideliter adhaeseris.

“QUIBUS verbis, quid aliud dicit:  
 quam quod dixit prius? si absit incredulitas,  
 cetera flagitia omnia in momento absorberi in sola fide: si confessus  
 fueris Christum: et eius promissioni fideliter adhaeseris: hoc est,  
 10 firmiter credideris te salvandum per fidem: quicquid feceris. Et quo  
 minus dubites, quo tendat:

Contritio (inquit) et peccatorum confessio  
 deinde et satisfactio, et omnia illa  
 hominum excogitata studia, subito te deserent, et infeliciorem  
 15 reddent, si in ipsis tete distenderis, oblitus veritatis huius divinae.  
 Cuius veritatis? nempe huius, quod  
 nulla peccata possunt te damnare, nisi  
 sola incredulitas.

“QUAE christiane ferent aures, pestilentem  
 20 hunc serpentis sibilum: quo baptismum  
 non in aliud levat: quam ut premat paenitentiam: et  
 baptismatis gratiam, statuatur impune peccandi licentiam?”  
 AUDISTI lector, quid ei princeps imputet: immo vero quid sua ipsi  
 verba imputent, atque id tam aperte: ut ne adhuc quidem colorem  
 25 ullum invenerit: quem contra posset  
 opponere: et tamen impudens, velut nihil  
 audisset: et idem dicit rursus: et simul  
 quaeritur imputari dictum: perinde ac si numquam dixisset. Quod si  
 videri vellet sensisse de fide formata  
 30 caritate: quam necessario sequantur  
 opera bona: quamquam id sensisse non potuit: qui non solum toties  
 clamat, sufficere fidem solam: sed etiam removet opera nominatim,  
 velut prorsus inutilia: ac manifeste clamitat, nulla peccata, nulla

quantumvis ingentia scelera posse damnare christianum, praeter  
solam incredulitatem: princeps tamen ut nullum prorsus effugium  
relinqueret haeretico, rursus audi, quid dicat.

5 “DEINDE quum dicit, quod per opera,  
non satisfit deo, sed sola fide: si sentit, quod  
non per sola opera sine fide, stulte bacchatur in sedem Romanam: in  
qua nemo fuit umquam tam stultus: qui diceret, opera sine fide  
satisfacere. Sin opera sentit superflua, et fidem solam sufficere:  
10 qualiacumque sint opera: tum vero dicit  
aliquid: et vere dissentit a sede Romana:  
quae credit divo Iacobo: quod fides sine operibus mortua est.  
Videtis igitur, quam inepte se commovet Lutherus: qui sic invehitur  
in Romanam sedem: ut semet interea, vel stultitiae retibus vel  
impietatis, involvat. Quamquam profecto propinquius opinor est  
15 vero, Lutherum sentire fidem semper absque operibus bonis, satis  
esse ad salutem. Nam id illum sentire, cum ex aliis locis multis  
evidenter liquet, tum ex eo, quo dicit.

Opera deus nihil curat, nec eis indiget.  
Indiget autem, ut verax in suis promissis  
20 a nobis habeatur.

“QUIBUS verbis, quid senserit, Lutherus  
viderit ipse: ego certe deum credo, et  
fidem nostram, et opera nostra curare, et neque operibus nostris egere  
neque fide. Nam ut bonorum nostrorum non eget: qui deus est: ita  
25 curam habet omnium: quae faciunt homines: qui aliud ab his fieri  
vetat: aliud iubet: sine cuius cura, ne unus quidem passer cadit super  
terram: quorum duo veniunt dipondio.”

ECCE, quid umquam legisti candide lector apertius: quam quod ex  
Luthero tibi produxit princeps? Aut quid umquam vidisti pestilentius?  
30 Quod si Lutherus videri velit, aliud sensisse, quam scribit: cur  
sua verba ne nunc quidem interpretatur  
sanus? Si non censet esse peccandum: cur  
impunitatem peccandi pollicetur? cur

orbem totum ad peccandi securitatem invitat? Si neget hoc habere  
sua scripta: ecce, princeps produxit loca: quae et per se manifesta  
sunt: et princeps tamen interpretatione fecit clariora. Lutherus  
ostendit ista legisse se. Si princeps igitur alio torquet eius verba, quam  
5 debet: cur ipse tam timide rem tantam transilit? Cur ipse vicissim  
non ostendit: quae verba depravet rex: quid assuat per calumniam:  
quod ipsius verba non habeant? Fecisset istud haud dubie  
lector, homo versipellis: nisi constrictum se vidisset angustius: quam  
10 ut quicquam haberet effugii: quo se posset  
vertere. Nam quod ita quidam conantur  
eum tueri: quasi non quaelibet opera censeat contemnenda, sed  
dumtaxat opera legis: Si legem vocat praecepta: quae Moisi data sunt  
in tabulis: in eodem luto haesitat. Neque enim sine illis etiamnum  
sufficit fides: nisi se fingat infantibus ista scribere, aut morionibus:  
15 quos a praeceptis implendis excusat inscitia. At de caerimoniis legis,  
aut quomodo vocant legalibus, non potuit ista blaterare. Quippe qui  
non ignorat neminem esse tam stultum nunc: ut ad ea sese censeat  
obligari. Quamquam frustra laborant eius fautores stolidum istud  
dogma, quoquam lenire glossemate: non vult Aethiops iste dealbari.  
20 Nam quem colorem recipiet istud: quod  
non solum contendit, nihil valere opera  
bona, sed etiam nihil nocere quaecumque opera mala. Nulla, inquit,  
peccata possunt damnare christianum, nisi sola incredulitas. Certe si  
Lutherus quicquam de Christo crederet: numquam talia fuisset ausus  
25 cogitare. Sed voluit videlicet homo pius, mundum traducere a  
bonorum operum fiducia, in fiduciam fidei: quasi populus tam assiduus  
esset in bonis operibus: ut inde periculum fuerit: ne quisque sibi  
nimium videretur sanctulus. Ei igitur malo ut mederetur: iubet: ut  
tantum credant Christo se salvos fore per solam fidem: et negligant  
30 prorsus non solum caerimonias, verum etiam opera bona quaecumque.  
Immo quo libentius oblectentur in libertate fidei: cognoscant,  
nihil nocere credenti qualiacumque scelera. Nulla enim peccata

posse damnare Christianum, praeter solam incredulitatem. O Satan Satan, aperuit regi deus astutias tuas: quas per os Lutheri moliris: ut evangelica libertas nihil sit aliud, quam infrenata licentia: qua populus Christi praeceps decurrat ad inferos.

270

5 Taxat, Lutheri improbam stultitiam: qui  
leges omnes censeat abrogandas.  
Cap. XVIII.

10 NAM ISTIUS haereseos, velut appendix quaedam est, praeclara ista  
sententia: qua leges omnes humanas vellet extinctas. Immo iam negat,  
earum omnium ullam obligare christianum quemquam. Sic enim  
scribit in captivitate Babylonica.

15 Dico itaque, neque papa, neque episcopus,  
neque ullus hominum, habet  
ius unius constituendae syllabae super  
Christianum hominem, nisi fiat eiusdem consensu. Quicquid aliter sit,  
tyrannico spiritu fit. ideo orationes, ieiunia, donationes, et quaecumque  
tandem papa, in universis suis decretis, tam multis, quam iniquis  
statuit, et exigit, prorsus nullo iure exigit, et statuit, peccatque in  
libertatem ecclesiae toties, quoties aliquid horum attentaverit.

20 Hanc nebulonis insaniam princeps his verbis attingit.  
“DE LEGIBUS vero, demirror hominem  
prae pudore, tam absurda potuisse cogitare:  
quasi Christiani peccare non possent: sed tam perfecta foret,  
tanta multitudo credentium: ut nihil decerni debeat, vel ad cultum  
25 dei, vel ad vitanda flagitia: Sed eadem opera, et eadem prudentia,  
tollit omnem potestatem, et auctoritatem principum, et praelatorum.  
Nam quid faciat rex, aut praelatus: si neque legem potest ponere:  
neque positam exsequi: sed populus absque lege, velut navis absque  
gubernaculo, fluctuet. Ubi est ergo illud apostoli: Omnis creatura



potestatibus sublimioribus subiecta sit? Ubi illud: Obedite praepositis  
 vestris, sive regi, quasi praecellenti? Et quae sequuntur. Cur igitur  
 ait Paulus: Bona est lex? Et alibi: Lex est vinculum perfectionis.  
 Praeterea, cur ait Augustinus: Non frustra sunt instituta, potestas  
 5 regis, et cognitoris ius, ungula carnificis, arma militis, disciplina  
 dominantis, severitas etiam boni patris? Habent omnia ista, modos  
 suos, causas suas, rationes, utilitates: et  
 haec cum timentur: et mali coercentur.  
 et boni quieti inter malos vivunt. Sed de  
 10 regibus dicere supersedeo: ne videar meam causam agere. Istud  
 quaero: si nemo, nec homo, nec angelus, potest super hominem  
 christianum legem ponere: cur tot leges ponit apostolus: et de  
 legendis episcopis, et de viduis, et de velandis feminarum capitibus?  
 Cur statuit: ne fidelis coniunx, ab infideli discedat: nisi deseratur?  
 15 Cur audet dicere: Ceteris dico ego non  
 dominus? Cur exercuit tantam potestatem:  
 ut fornicarium Satanae iuberet tradi in interitum carnis? Cur Petrus  
 Ananiam et Saphiram, simili poena percussit: quod e sua ipsorum  
 pecunia, paulum reservassent sibi? Si multa statuebant apostoli,  
 20 praeter speciale praeceptum domini, super  
 christianum populum: cur non idem  
 propter populi commodum faciant hi: qui successerunt in apostolorum  
 locum? Ambrosius Mediolanensis episcopus, vir sanctus, et  
 nihil arrogans, iubere non dubitavit: ut per suam dioecesim, coniunges  
 25 in quadragesima coniugalibus abstinerent amplexibus: et  
 indignatur Lutherus: si Romanus pontifex, successor Petri, vicarius  
 Christi, cui Christus, velut apostolorum principi, tradidisse creditur  
 claves ecclesiae: ut ceteri per illum intrarent, et pellerentur: ieiunium  
 indicat ac preculas? Nam quod suadet corpore parendum esse,  
 30 animo retinendam libertatem: quis tam caecus est: ut strophas istas  
 non videat? Cur ignem gerit, et aquam, homo simplex et sanctulus?

Cur iubet, velut apostoli verbis, hominum servos non fieri? hominum  
 statutis non subici? et tamen parere iubet, pontificis iniustae tyrannidi?  
 An apostolus hoc pacto praedicat: reges nihil iuris habent in  
 vos: iniustum feratis imperium: domini ius non habent in vos: feratis  
 5 iniustam servitutem? Si Lutherus parendum esse non putet: cur parendum  
 dicit? Si parendum censet: cur ipse  
 non paret? Cur homo versipellis talibus  
 ludit technis? Cur in pontificem, cui dicit  
 10 obediendum esse: conviciis insurgit? cur tumultum suscitatur? cur in  
 illum concitat populos: cuius vel tyrannidem (ut vocat) fatetur esse  
 ferendam? Profecto non ob aliud, opinior, quam ut favorem sibi conciliet  
 improborum: qui suorum scelerum impunitatem cuperent: et  
 eum, qui pro libertate eorum iam decertat: caput ipsis instituerent: et  
 15 ecclesiam Christi, tam diu supra firmam petram fundatam, dividerent:  
 et ecclesiam novam, ex improbis et flagitiosis conflata, erigerent:  
 contra quam exclamat propheta: Odivi ecclesiam malignantium: et  
 cum impiis non sedebo.”

QUID ad haec respondit iste? profecto, id quod potuit: hoc est,  
 omnino nihil. Quis enim color dici potest, aut fingi, pro re tam  
 20 absurda? Et tamen hominem stolidissimum non pudet, eam toties  
 asserere, tanto supercilio: tamquam aliter  
 sentire sit nefas. At sibi visus est, praeclare  
 moderatus ineptissimam sententiam:  
 25 quum VVormatiae responderit, ita demum legem evangelicam unam  
 satis esse futuram, et leges humanas inutiles: si magistratus essent  
 boni, et fides vere praedicaretur. Quasi vel optimi magistratus  
 possent efficere: ut aut totus populus christianus vivere vellet in  
 communi: aut mali nolint furari: aut ulla fidei praedicatione posset  
 30 impetrari: ut nulli usquam sint improbi. Si lex evangelica furtum non  
 permittit: certe nec inutilis est lex humana: quae furtum punit: et  
 obligat christianos lex humana: quae sola rerum proprietatem dividit:  
 qua sublata, nec esse quidem furtum potest. Quod si dicat inde

argumentum trahi: quod utilius careremus ea lege: unde rerum  
 proprietas nascitur: atque in communitate quadam naturali viveremus:  
 sublata furandi materia, nihil adiuvat causam eius: etiam si quis  
 istud ei concederet. Nam in communi quoque et si vivi posset multo  
 5 paucioribus: tamen vivi non posset omnino sine legibus. Nam et  
 certis ordinibus laborandi foret, praescribenda necessitas, et legibus  
 coercenda flagitia: quae in illa quoque vita grassarentur. Nunc vero  
 si verissime praedicata fide, sicut verissime praedicabant apostoli: ad  
 haec optimis magistratibus undique praefectis populo Christiano:  
 10 tamen et manere posset rerum proprietas, et multi manerent improbi:  
 negare non potest: quin lex humana christianos obliget: ne quid aliud  
 eriperet: quod lex alii diviserit: nec inutilis puniendo sit: si quis  
 furtum admiserit.

NAM quod ait in Babylonica, magistratus  
 15 bonos et prudentes, naturae ductu melius rem administraturos,  
 quam legibus: quis non videt: quam sit  
 absurdum? An bonus magistratus minus  
 aequus erit in lege condenda, quam in reddendo iudicio: in quo plura  
 20 possunt occurrere: quae corrumpant innocentiam? Ut non illud  
 interim dicam: quod vix ullum iuste redditur iudicium: quod non ex  
 aliqua lege lata redditur. Nam neque lex evangelica dividit possessiones:  
 neque sola ratio praescribit formas discriminandi proprii: nisi  
 rationi consensus accedat, atque is in communi forma commercii  
 mutui publicus: qui consensus aut coalescens usu, aut expressus  
 25 litteris, publica lex est. Leges ergo si tollas: et omnia permittas libera  
 magistratibus: aut nihil neque praecipiant: neque vetabunt: et iam  
 inutiles erunt magistratus: aut naturae suae ductu regent: et pro  
 imperio, quidlibet exsequentur, et iam nihilo populus erit liberior, sed  
 servitutis conditione deterior: quando parendum erit non statis et certis  
 30 legibus: sed incertis ac mutandis in diem voluntatibus. Atque istud  
 oportet, accidat etiam sub optimis magistratibus: quibus, ut optima  
 praecipiant: tamen populus adversabitur: atque obmurmurabit,

utpote suspectis: quasi non ex aequo bonoque, sed ex libidine  
 cuncta gubernent. Nunc vero quum Lutherus ipse fateatur, nullos  
 usquam magistratus inveniri posse: qui non sint homines: hoc est, nec  
 civibus, nec sibi satis explorati: quales intra triduum sint futuri: quam  
 5 prudenter consulit homo sapiens omitti leges, et cuncta permitti  
 magistratibus, tamquam sic victuro in libertate populo?

IAM illud obsecro, quale est, quod ait: Neque papa, neque  
 episcopus, neque ullus hominum, habet ius unius constituendae  
 syllabae, super christianum hominem sine ipsius consensu? Taceo  
 10 interim de papa, et de ipsis, quibus deus potestatem dedit: ut multas  
 syllabas statuerent: quibus populum promoverent in cultum dei:  
 consideremus leges civium. Si nemo habet potestatem condendi unam  
 syllabam super hominem christianum, sine ipsius consensu: neque  
 rex, neque totus populus, ullam potest condere: quae valeat in  
 15 quemquam: qui dissuasit rogatam. Felices  
 ergo sunt fures et sicarii: qui numquam sic  
 insanient: ut in legem consentiant: qua poenas dent. Quin hac  
 ratione non videt prudens pater: quod si  
 omnes ad unum consentiant: tamen  
 20 diutius valere non possit lex: quam donec novus civis natus sit, aut  
 inscriptus in civitatem. Sed ille nihil aliud sentit vere praedicari  
 fidem, quam ita praedicari: ut saepe iam praedicavit ipse: nempe  
 solam fidem sufficere, non solum sine bonis operibus, sed etiam  
 cum quibuscumque sceleribus: quae nullo  
 25 modo (ut ait) damnare possunt Christianum  
 quemquam: modo stet aut redeat fides: Hoc est nimirum, si vel  
 interea, dum committit scelus: credat tamen id, propter fidem in  
 promissione dei, sibi nocere non posse: Aut si minus firmiter id  
 crediderit in committendo scelere: atque ideo propter infirmam  
 30 fidem, scelus commisit timidius: redeat saltem fides, peracto scelere:  
 ne commisisse paeniteat: et frustra se conterendo torqueat. Certe si  
 istius Lutheranae fidei praedicationi populus haberet fidem: propediem  
 verum diceret: quod nullae leges obligarent quemquam:  
 sed populus absque lege, quaevis provolaret in scelera

IAM vides lector, quam sapienter homo  
 prudens amoliri studeat, omnes leges  
 humanas, et quanto cum fructu populi christiani. Vides item, quanta  
 ratione, quibus scripturae testimoniis fulsit decretum suum, contra  
 5 doctorum omnium, contra bonorum omnium sententiam, contra  
 publicum totius orbis consensum. Vides, ut in ea re, in qua vix ulla  
 ratio potuit satis esse fortis: vir iste sagax nullam prorsus rationem  
 afferat, nullum scripturae testimonium: sed qui aliis falso imputat:  
 quod sibi solis credi postulent: ipse, ut sibi soli credatur, postulat,  
 10 contra totum orbem, contra manifestas rationes, contra sacrarum  
 testimonia scripturarum: idque cum populorum omnium summa et  
 inevitabili pernicie. Atque haec in legibus humanis, quae verae sunt  
 traditiones hominum. Nam ea, quae in ipsius catalogo recensentur,  
 15 aliquae tolerandae sint: aut omnino tollendae tamquam nocentissima  
 scandala: iam ante probatae sunt, esse traditiones dei, partim scripturis  
 ipsis comprehensae, partim vivo dei verbo traditae. Atque id  
 probatum est ratione, scripturis, et quod fortissimum est adversus  
 Lutherum, ipsius confessione Lutheri. Nisi aut rursus neget: quod  
 20 fassus est: hoc ecclesiam habere a deo: ut verba dei decernat a verbis  
 hominum: aut aliam proferat ecclesiam catholicam: qua docente  
 cognovit evangelium: aut probet nobis nihil ecclesiam didicisse sine  
 scripturis, contra illud evangelistae: Non omnia scripta sunt in libro  
 hoc. Et item illud apostoli: Servate, quae praecepi vobis, sive  
 25 per sermonem, sive per epistolas. Item illud, ab eodem commemoratum  
 apostolo: Dabo leges in cordibus eorum: et in mentibus eorum  
 superscribam eas. Et illud item Christi: Spiritus paracletus, cum  
 venerit: ille ducet vos in omnem veritatem. Aut nisi probet nobis  
 Lutherus, tot aetates sanctorum patrum temporibus, Christum  
 30 ecclesiam deseruisse, et fidem protinus ab apostolis defecisse: contra  
 illud: Oravit Christus: ne fides ecclesiae deficeret: et tamquam  
 Lutherus similis esset ac mendax veritas ipsa, quae dixit, se cum  
 ecclesia futuram perpetuo, usque ad consummationem seculi. Haec  
 nisi nobis evertat omnia: quae princeps ei obiecit omnia: quae

Lutherus hactenus dissimulat omnia: nec ob aliud dissimulat omnia:  
 quam quod sibi conscius est, nihil habere se quicquam: quod ad  
 eorum quicquam omnium respondeat. Haec inquam omnia, nisi  
 Lutherus plane faciat: ego planissimum tibi lector feci: immo regem  
 5 fecisse, plane demonstravi tibi: id quod initio promisi tibi, istum non  
 tantum traditiones hominum tollere, etiam eas, quibus debet  
 obtemperare: sed etiam tollere traditiones dei: quas os impurum  
 nebulonis insanissimi contumeliosa blasphemia pestes appellat et  
 nocentissima scandala.

10                   Ostendit Lutherum id unum agere: ut demoliatur  
                           scripturas ipsas, pro quibus simulat  
                           se pugnare. Cap. XIX.

NUNC videamus, an non scripturam sacram ipsam, pro qua se  
 pugnare simulat: quibus potest machinamentis oppugnet.  
 15 Primum, ut omittam quam passim pessime, quam passim stolide  
 scripturas torquet in defensionem perniciosorum dogmatum: quid  
 magis potest aut manifestius evertere totam vim fructumque scripturarum  
 omnium: quam id quod iste manibus pedibusque molitur: ut  
 nemo quicquam de scripturae sensu doctorum cuiquam credat: nihil  
 20 sanctorum cuiquam patrum, nihil universis credat: nihil toti credat  
 ecclesiae, ab ipsis ecclesiae incunabulis in hunc usque diem consentienti:  
 sed opponat omnibus sensum quisque suum? Quem  
 fructum afferent scripturae: si tantum sibi quivis arroget: ut in eis  
 intellegendis suo innitatur sensui contra ceterorum omnium: ut nulla  
 25 prorsus auctoritate moveatur: quo minus ex affectu et libidine  
 metiatur scripturas? Hic plane aperit fenestram: qua se praecipitet  
 populus in perniciem. Quaeso te Luthere per furorem tuum, si tu in  
 illa tempestate vixisses: qua procellis Arrianis agitata est ecclesia:  
 suasisses ne, quod suades nunc: ut quilibet e vulgo se putaret idoneum:

qui de illa lite iudicaret: et sibi quisque crederet in scripturis  
 intellegendis: quas legeret? et floccifaceret sanctorum patrum iudicium:  
 qui fuerunt in consiliis: in quibus damnatae sunt haereses? ut  
 cum fatearis ibi Christum esse: ubicumque sunt duo vel tres congregati  
 5 in eius nomine: ibi neges esse: ubi sunt eodem nomine congregati  
 sexcenti, idque ex omni parte christiani populi? Sed quis tam  
 caecus est: ut hac in parte non videat, non  
 aliud tibi consilium esse: quam ut sublata  
 prorsus auctoritate consensus publici, possis ex temeraria privatorum  
 10 dissentione tumultum suscitare? quo tibi liceat aliquos invenire tam  
 stultos: qui sibi liberum putent, impune contra fidem ceterorum  
 omnium, uni fidere nebuloni tibi.  
 Contra quem, ne quid scripturae valeret  
 auctoritas: non id solum agis: ut sensum  
 15 sacrarum litterarum quisque trahat in dubium: et contra sanctorum  
 patrum omnium, contra catholicam totius ecclesiae sententiam, suum  
 tueatur somnium: verum etiam contra sententiam beati Pauli  
 apostoli.  
 HAEC tu fortasse lector sic intellegis: tamquam praebeat audaciam  
 20 Lutherus, non agnoscendi, quid sentiat  
 Paulus: et dicendi non hoc sentit, hoc aut  
 illo loco Paulus: quod eum sentire credit ecclesia. Immo longe aliud  
 lector, quamquam nec illud esset ferendum: sed iste non veretur:  
 quum Paulus quippiam e scriptura sacra, pertinere docet ad Christum:  
 25 nihil veretur inquam, rursus in dubium trahere: et controversam  
 facere sententiam apostoli: et dicere: Paulus illud fortasse non ex  
 deo dixit: sed ex sensu proprio. Itaque recognosce nebulo, verba  
 sacrilega: quibus in captivitate Babylonica, vere captivus in servitio  
 daemonum tu, scripturas invertis: et blasphemias apostolum. Sic enim  
 30 blateras.

Paulus Ephes. v. verba illa de matrimonio,  
 Genes. ii. dicta, vel proprio spiritu

O Satan Satan, quanto sincerius adhuc  
scripturam tractas tu, quam discipulus  
5 tuus Lutherus? Etenim, quamquam uno  
textu, per fraudem conatus es abuti: tamen quae scripturae verba  
pertinebant ad Christum: ea ad Christum retulisti. Scriptum est,  
inquis, de te: Angelis suis deus mandavit de te. At Lutherus, quae  
scriptura pertinet ad Christum, eam non ipse modo Christo  
10 non tribuit: verum etiam apostolo tribuenti, minuit, quoad potest,  
fidem. Exulta Satan: habes discipulum:  
qui Christi quoque verbum faciat dubitabile.  
Nam quum ille dicat: Non est  
discipulus supra magistrum: sed sufficit ei: si sit, sicut magister suus.  
15 Luthero discipulo tuo, non sufficit: si sit mendax, et sycophanta  
Satan sicut tu: sed longe contendit superare te. Itaque quum primum  
conetur, elevare auctoritatem sacramenti, ex eo quod videri vult: si  
locus ille Geneseos quicquam pertineret ad Christum et ecclesiam:  
non pertinere saltem, nisi tenuiter, quadam quasi generali sententia:  
20 ne quid ad eam rem putetur pertinere proprie: conscius tamen,  
Paulum non sic accipi posse: quum tam accurate tot modis exaggeret,  
eius sacramenti magnitudinem, ex illo loco Geneseos de Adam  
copulato cum Eva, tam proprie, tam germane relato ad matrimonium  
Christi cum ecclesia: quid facit nebulo? quid? id quo nihil ad evertendam  
25 vim scripturarum omnium potuit excogitare pestilentius.  
Paulus, inquit, locum illum, proprio fortasse sensu, ad Christum  
trahit. O nebulo nebulo, scrupulum  
iniciis: quasi non ex dei spiritu, sed  
proprio, videlicet humano (quem toties  
30 appellas mendacem) scripturas interpretetur apostolus: nec interpretatur  
modo: sed etiam trahit: tamquam in diversum obtorto collo,



torqueat renitentes. Hoc est, quod scripturis defers: qui nihil te  
credere iactas, praeter scripturas? Qui nihil aliud nisi scripturas  
recipis: scripturas recipis sic: ut de sensu earum nec ipsis credas  
apostolis: qui scripturarum sensum didicerunt a domino? At quaedam,  
5 inquis, a Christo dicunt: quaedam a capite suo: et illa  
credi necesse est: de his dubitari potest.  
Det ergo nobis regulam reverende frater,  
vestra fraternitas: qua discernamus illa:  
quae apostoli interpretantur e sensu dei ab his: quae trahunt ac  
10 torquent, in scripturis sensu proprio. Audio vos domine doctor, dare  
nobis regulam talem: quod indubie standum sit in sacris litteris  
interpretationi apostolorum et evangelistarum: ubicumque addunt  
interpretamentis suis: Haec dicit dominus: Cetera vero, quae dicunt,  
15 dicere se: immo trahere, vel torquere scripturas: quo volunt, ex sensu  
proprio, hoc est humano. Nec illis in talibus esse credendum: quia  
omnis homo mendax: quemadmodum in isto furioso libro vestro  
blaterastis, prius de Hieremia, Esaia,  
Helia, et Ioanne Baptista. Ergo loca  
20 omnia, quae ex prophetis, vel quocumque  
loco scripturae toties allegant evangelistae:  
toties producunt apostoli, pro Christo: controversa facit unus nebulo:  
et viam aperit omnibus: ut negent haec fuisse praedicta de Christo:  
sed quae prophetae scripserunt de aliis: ea proprio sensu evangelistas,  
et apostolos ad Christum detorsisse. Quid hoc est lector: si non est  
25 aperte scripturas oppugnare?  
SED age tamen, sit istud, si voles, nihil: permitto Luthere tibi: qui  
deterior es: quam cui ullum paene vitium vitium sit. Permitto, inquam,  
tibi: ut leve sit, omnes doctores sanctos contemnere. Permitto:  
ut documentum non sit hostilis in scripturas  
30 animi: quod niteris ac laboras,  
apostolorum interpretationes reddere suspectas  
omnes. Illud saltem, nemo prorsus erit tam stupidus: ut non

sentiat: quam aperte, quam recta tendat in expugnationem  
 scripturarum omnium: quod scripturam indubie sacram, non dubitas  
 impius, velut profanam pellere. Immo, quod est adhuc detestabilius:  
 si concesseris esse canonicam, et apostoli scriptam calamo: audes  
 5 negare tamen, fidem adhibendam esse: et os in caelum ponens, lingua  
 maledica, blasphemare non vereris apostolum. Rursus itaque  
 recognosce nebulo, verba sacrilega: quibus, quum te suis verbis  
 urgeret apostolus Iacobus, in sacramento unctionis extremae: tu  
 velut comminus congressus cum apostolo: in apostolum dei scurra  
 10 turpissime, oris impuri latrinam exhauris.

Omitto, inquis, quod hanc epistolam  
 non esse Iacobi, et apostolico spiritu dignam,  
 multi valde probabiliter asserant,  
 licet consuetudine auctoritatem, cuiuscumque sit, obtinuerit. Tamen,  
 15 inquis, si esset apostoli Iacobi, dicerem, non licere apostolum, sua  
 auctoritate, sacramentum instituere, id est divinam promissionem  
 cum adiuncto signo dare. Hoc ad Christum solum pertinebat. Sic  
 Paulus sese accepisse a domino dicit, sacramentum eucharistiae, et  
 20 missum, non ut baptizaret, sed ut evangelizaret. Nusquam autem  
 legitur in evangelio, unctionis istius extremae sacramentum.

RELEGE quaeso lector, quid in haec verba scripserit princeps. Ibi  
 statim reperies, in quam paucis Lutheri verbis, quam multa princeps  
 repererit, atque revicerit absurda. Ostendit enim: quod Lutherus  
 improbe reprehendit ecclesiam: quod impie redarguit apostolum:  
 25 et ipse quoque stolide contradicit sibi.  
 Atque haec tria in tribus fere versibus  
 omnia, ut nullius umquam fuerit tam  
 admiranda prudentia: quam sit istius demiranda stultitia. Quid dices  
 hic Luthere? Quem cuniculum prospexisti tibi: per quem possis  
 30 effugere? Negabis eum, quisquis illam scripsit epistolam:  
 manifeste sacramentum describere: et ex tua ipsius sacramenti  
 finitione discedes: quod constare voluisti, ex sensibili signo, et promissione  
 gratiae aperte comprehensa in sacris litteris? An quod

fecisti, negabis illam epistolam in sacris  
 litteris numerandam? At eadem ecclesia,  
 quae inter sacras litteras numerat evangelia:  
 eadem inquam ecclesia inter sacras  
 5 litteras numerat hanc epistolam. Qua in re tu mentiris: sive falli  
 potest ecclesia: sive falli non potest. Si potest falli in dignoscendis dei  
 verbis: ipse mentiris: qui eam dicas, in eo falli non posse. si falli non  
 potest: mentiris rursus: qui dicas probabile esse, hanc epistolam non  
 esse apostolicam: quam ecclesia probavit pro apostolica. Quid restat  
 10 igitur: nisi ut dictum revoces: et neges  
 rursus, ecclesiam posse dei verba discernere:  
 et iam in dubium voces etiam Paulinas epistolas, et evangelia?  
 Et qui nihil contendis certum esse praeter scripturam sacram: iam  
 ipsa scriptura sacra nihil reddas incertius. Sed illud adhuc nocentius,  
 15 quod ausus es etiam contemnere: si fatereris epistolam esse apostoli:  
 videlicet opinor, quod nostri sunt apostoli: non nos illorum, iuxta  
 illud quod tam stulte profers quam saepe: omnia enim vestra sunt,  
 sive Apollo, sive Cephas, sive Paulus. Non  
 est ergo, inquires, nostrum iudicari ab illis:  
 20 sed illos iudicare. Quomodo igitur dicis  
 Luthere, hoc agere te: ut solis credatur scripturis: qui manifestam  
 scripturam non admittas pro scriptura? Quod si nullam scripturam  
 reiceres: tamen, quum universos interpretes floccifacias: eodem  
 revolveris: quando nihil omnino credis: quod non clarescat scripturis  
 25 evidentibus. Nam quae umquam  
 scripturae satis evidentes erunt: si possit  
 effici: quod tu conaris: ut nihil valeat bonorum, atque eruditorum  
 sententia, adversus interpretamenta, vel imperitorum stolidia, vel  
 vafra improborum? Quis non videt hoc pacto fore: ut nihil omnino  
 30 probari possit e scriptura sacra, homini tam amenti: ut scripturae  
 mentem aut nequeat, aut nolit intellegere? Immo nihil tam absurdum

esse, nihil esse tam impium, quod non aliquis tui similis, homo  
 furiosus, et impudens, non possit contendere se probare scripturae  
 sacrae testimoniis. Nam verbi gratia, si quis nebulo neget, Christum  
 ad inferos descendisse: iactabit se nihil admittere praeter evidentes  
 5 scripturas: et illud negabit ulla probari  
 satis evidenti scriptura. Quod si quis  
 alleget illud ex psalmo: Caro mea requiescet  
 in spe: quoniam non relinques animam meam in inferno: Afferet  
 contra commentum quodlibet e commentariis iudaeorum: et negabit  
 10 illud, ad Christum quicquam pertinere. Quod si quis rursus obiciat  
 apostolum Petrum: qui psalmum illum de Christo loqui declarat,  
 actorum cap. ii. non dubitabit nebulo, dicere de Petro: quod iste  
 nebulo dixit de Paulo: nempe Petrum illud ad Christum proprio  
 15 sensu traxisse. Quod si quis alius nebulo, volet opera bona, non exigi  
 ad salutem: afferet illud evangelii: Quicumque crediderit, et baptizatus  
 fuerit: salvus erit: Nihil igitur ultra requirendum esse. Iam si  
 quis neget sic intellegendum: et afferat  
 genuinum sensum, cum testimonio doctorum  
 omnium: despiciet doctores omnes,  
 20 ac stabit interpretamento suo, tantum vociferans evidentem  
 esse scripturam. Quod si quis illi quippiam obicitat e scriptura sacra:  
 nebulo protinus commento quopiam inepto, non dubitabit eludere.  
 Utpote, si quis obiciat illud Iacobi: Fides sine operibus mortua est:  
 dicet idem, quod dixit iste, epistolam non esse Iacobi, non esse  
 25 cuiusquam apostoli: nihil habere dignum apostolico spiritu. Postremo  
 si probetur esse apostoli: tamen dicet  
 apostolum non recte dicere nimium arrogasse  
 sibi: qui legem bonorum operum imponat Christianis: quos in  
 sola fide, liberos ab omni bonorum operum iugo fecerit Christus.  
 30 Nec quisquam possit ullam legem aut  
 ullam syllabam legis, ponere super christianum  
 quemquam, praeter unum Christum. Nam apostolos non  
 habuisse tantum auctoritatis, ut iudicarent nos: sed nostrum esse  
 iudicare illos. Nam omnia nostra sunt, sive Apollo, sive Cephas, sive

Paulus. Sic enim se Lutherum docuisse. Si quis igitur, omittens  
 Discipulum tuum, rursus Luthere, sic opponat tibi: Ecclesia iudicavit  
 hanc epistolam esse apostoli, scriptam esse divino spiritu, et tua tibi  
 verba obiciat: Hoc saltem ecclesiam habere a deo datum: ut dei  
 5 verba discernere possit, a verbis hominum.  
 Iam revocabis hoc protinus: ac dices,  
 melius a te nunc rem esse perpensam:  
 Ecclesiam nihil habere a deo, sed ecclesiam falli posse in recipienda  
 scriptura. Quod si subinferet quispiam, incerta igitur esse ipsa  
 10 evangelia: hoc tu nimirum concedes etiam, scripturas et evangelia,  
 quae leguntur, non esse fortassis evangelia  
 vera: sed illorum potius aliquod, quae  
 repudiavit ecclesia. Atque his de rebus,  
 unum quemque suo periculo credere.

15 QUOD si quis hic tibi obiciat inconstantiam: quod tibi toties  
 dissideas: atque a temet ipse dissentias: hic vero quantis tibi scommatibus,  
 quantis cachinnis ac ronchis irrideretur: qui sit tam rudis,  
 et imperitus disserendi: ut nesciat: quid sit hominem dissentire  
 secum: aut eum putet levem esse, atque instabilem: qui sit constanter  
 20 inconstans: aut sicut taurus ligatur  
 cornibus: ita ligari postulet suis verbis  
 hominem: uti, si quid umquam dixit bene: id ei non liceat postea  
 revocare: cum sit commodum: atque in malum vertere, modo nihil  
 immutet in melius, ex iis, quae umquam dixit male.

25 VIDES hic lector evidenter: bonus hic  
 vir quam bona fide, se clamare clamat  
 evangelion evangelion: quasi quisquam  
 umquam fuerit haereticus: qui non clamavit  
 evangelium: quum is interea viam  
 30 sibi struat, qua vertat in dubium: an evangelium esset evangelium:  
 et scripturas, quas ait solas regnare debere: falsis interpretamentis

enervet: ac faciat cuilibet idem audendi licentiam. Quas ipse libet,  
 non agnoscit pro sacris: denique si res urgeat: agnitas etiam contemnit:  
 ne quid dubitare possis, ipsum probasse pro nobis: id quod  
 initio polliciti sumus probaturos nos: illum id prorsus agere: ut  
 5 scripturas etiam ipsas, pro quibus se fingit pugnare: subvertat.

Declarat Lutherum, qui iactat papistas, uti vitioso  
 disputationis genere petendo principium, non  
 solum falso id obicere aliis: sed etiam ipsi id  
 disputandi genus proprium esse atque  
 10 perpetuum totum caput istud est  
 amoenum. Cap. XX.

AGE NUNC, expendamus illud: in quo mire sibi Lutherus placet:  
 ac se festivum et disertum putat: quum in  
 ecclesiam catholicam ludat tamquam papisticam:  
 15 et tam rudes censet omnes prae  
 se: ut non intellegat quisquam: aut qua de re sit quaestio: aut qua  
 ratione res probari debeat. Est, inquit,  
 apud eos ipsos, vitiosissimum genus disputandi:  
 quod vocant petitionem principii.  
 20 Hoc discant et docent, usque ad canos,  
 usque ad sepulchrum, tot sudoribus, tot sumptibus miserimi  
 homines.

VIDEAMUS ergo lector, utra pars vitiosius petit principium?  
 nam aliquod principium petit utraque.  
 25 Nos petimus ab illo postulata quattuor.

PRIMUM petimus: Lutherus ut credat  
 sacris litteris. PETIMUS, ut credat aliqua  
 dicta, facta, tradita a deo: quae non sunt  
 comprehensa litteris

PETIMUS, ut credat ecclesiae datum a deo: ut possit discernere verba dei, a verbis hominum: et traditiones dei a traditionibus hominum: Christo videlicet ecclesiam suam regente perpetuo, spirituque sancto, ecclesiae consensum dirigente semper in rebus fidei.

PETIMUS denique, ut in controverso sacrarum litterarum sensu, credat potius constanti sanctorum patrum sententiae, et fidei totius ecclesiae catholicae: quam opinioni suae.

HAEC postulata quamquam nos putemus, haud minus evidentia christiano, quam illa sunt Euclidis Geometrica philosopho. Postulat tamen iste postulatorum eiusmodi rationes.

ATTULIMUS ergo postremi, et alias rationes aliquot: et quod facilius est, ac similis veri, unum falli atque hallucinari quam multos, malum virum potius male sentire quam bonos, hominem haereticum potius errare, quam ecclesiam catholicam.

PENULTIMUM vero probamus, multis et evidentibus scripturae sacrae testimoniis, multis praeterea rationibus, et denique ipsius confessione Lutheri.

PORRO quod aliqua dicta, facta, tradita sunt a Christo: quae scripta non sunt, praeter evidentes rationes alias, praeter alia scripturae loca, probavimus auctore Paulo: probavimus evangelio.

PRIMUM vero postulatum, quod scripturae sacrae credendum sit: speraveramus, haud exacturum quicquam probationis Lutherum: propterea quod toties per omnes libros clamat, nihil aliud exigere se: quam ut soli credatur scripturae sacrae.

HAEC postulata nostra, Lutherus deridet omnia. Nam postremum putat esse stultissimum: si quis hoc petat: ut patribus, et ecclesiae potius credat

ille, quam sibi. Quum patres (ut ait) et ecclesiae iudicium, aliquando fallatur: ipse falli non possit. Propterea quod certus est (ut ait) doctrinam suam habere se de caelo.

- 5 PENULTIMUM vero quamquam olim  
 ab ipso concessum, nunc tamen fere  
 revocat. Censet enim, illud esse ridiculum: si quis in fide, censeat  
 ecclesiam gubernari spiritu sancto: quoniam tale principium  
 petentem Turca rideret. Itaque pius pater, impius potius erit in  
 Christum: quam sit ridiculus Turcae.
- 10 SECUNDUM nihili plane facit: quia  
 quaecumque dixit, fecit, aut tradidit  
 Christus: quae scripta non sunt: ea semel omnia Lutherus habet  
 pro nihilo. Propterea (puto) quod nisi fuissent res nihili: non putaret  
 Lutherus tam negligentem futurum fuisse Christum: quin ea curasset  
 15 comprehendi scriptura.
- PORRO primum propter auctoritatem  
 scripturae, tractat ambigue. Nam scripturas  
 saepe citat perperam: et a genuino plerumque sensu detorquet  
 in falsum. Ibi cum nihil habeat pro se, nisi verba sua, eademque fere  
 20 semper contra conscientiam suam: quum diversum sonent scripturae  
 verba: patres constanter interpretentur: et tota, per tot aetates  
 consentiat ecclesia: ibi nos imperiti Thomistae, petimus illud  
 principium: ut credat potius universis  
 quam uni. Sed quia haec est petitio  
 25 principii, ab homine acuto et argumentandi callentissimo, risu  
 repellimur: et cachinnorum cumulis obruimur. QUOD si scripturae  
 textum proferas: qui sit apertior: quam ut de sensu possit esse  
 controversia: tum necessitate coactus, prodit se: et scripturam negat  
 aperte. Ait enim (si res poscat) epistolam  
 30 Iacobi, non esse apostolicam: aut etiam  
 si sit apostoli, apostolum tamen sibi  
 nimium arrogasse. Atque ubi Lutherus semel dixit istud: si quis in eo



rursus instet: ut auctoritati cedat Lutherus apostoli: iam mille modis ridebitur homo disputandi rudis: quem non pudeat uti vitiosissimo genere disputandi, et principium petere: nempe ut scriptura putetur: quam Lutherus negat esse scripturam: aut apostolus credatur scripsisse  
 5 recte: quum eum semel dixerit pater potator errasse. Hunc igitur in modum lector, nos vitiose principium petimus.

LUTHERUS contra, paulo modestior est: principium enim statuit etiam ille, sed dumtaxat unum: quod sibi concedi postulat. Est autem illud huiusmodi. omnibus de rebus  
 10 soli credendum ipsi.

HOC principium, velut rem natura notam, non dubitat ubique petere: immo pro suo sibi iure sumere. Sit quaestio de scripturae sensu: profert primum, quod vel sentit ipse: vel se sentire saltem simulat. Tu contra profer, quicquid umquam fuit Christianorum omnium: abigit  
 15 omnes, velut muscas: et petit credi sibi. Negat leges humanas utiles esse: profer tu contra, quicquid umquam fuit mortalium: deridet orbem totum: et postulat credi sibi. Negat unctionis extremae sacramentum: profer tu contra, apostolum Iacobum: contemnit apostolum: et postulat credi sibi. Ita principium istud, nusquam fere  
 20 non petit concedi sibi: ut omnibus in rebus uni credatur sibi.

HOC postulatum eius, quamquam nemo non videt esse in speciem vehementer aequum: tamen, quia veremur laqueos, et hominis captiosi versutias: aegre ac difficulter adducemur: ut istud ei postulatum concedamus:  
 25 maxime, quia sentimus hoc principio, et praeclaro Lutheri axioma, totum niti mirabilis Lutheranae doctrinae fundamentum. Nam eo principio concesso: mirum dictu est: quales et quantas conclusiones sic probabit tibi: ut prorsus negare non possis. At si neges illud axioma: nihil tibi probat  
 30 omnino. Cunctamur ergo illi concedere tam callidum et captiosum principium: et quaerimus ab illo: qua ratione probas pater soli

credendum tibi? Ad hoc hanc reddit causam. Quia certus sum,  
inquit, dogmata mea habere me de caelo. Rursum quaerimus. Qua  
ratione certus es, dogmata tua habere te de caelo? Quia rapuit me  
deus, inquit, imprudentem in medias has turbas. Rursus ergo  
5 flagitamus. Qui scis: quod rapuit te deus? Quia certus sum, inquit,  
doctrinam meam esse a deo. Quomodo id scis? Quia rapuit me deus.  
Qui scis istud? Quia certus sum. Quomodo certus es? Quia scio. At  
qui scis? Quia certus sum. QUAESO te lector, an non hic locum  
habet illa disputandi forma: qua, nisi mentitur Lutherus, mentitur  
10 Amsdorffius, theologos disputare Lipsenses  
hoc pacto: cum respondens negasset  
assumptum opponenti: probabat idem opponens hoc pacto: Oportet  
sic esse. Illo iterum negante: denuo et ille: Et quomodo potest aliter  
esse? Oportet sic esse.

15 HUIC mendacio Lutherus, velut unum dictum, de dictis melioribus  
adiunxit coronidem. Pulcherrime,  
inquit, et Thomisticissime, quin et Lipsissime,  
et Henricissime.

NUNC quum reverendus pater, in hoc principio sua fundet  
20 omnia: Ego certus sum: quia ego scio: et  
ego scio: quia ego certus sum: et ideo  
certus sum: quia non possum errare: et  
ideo non possum errare: quia certus sum: et ideo certus sum: quia  
ego scio. An non nobis licet in reverendum patrem, reverendi patris  
25 coronidem recinere, pulcherrime, et vvittenbergissime, quin et  
stolidissime, et Lutherissime.

VIDES ergo hoc loco lector, nihil illius ita recitare me: quemadmodum  
ex regis libro ille solet omnia. Qui nihil sincere citat: sed aut

male mutat: aut ea commemorat inde: quae ibi nusquam sunt: sed ipse dum narrat: fingit sibi monstra: quae vincat. At nos ipsa re planum facimus, scripturas ab illo sic allatas, sic detortas a suo sensu, sic ipsum sua somnia praeferre sanctorum omnium sententiis: 5 sic totam ecclesiam floccifacere prae se, sic aperte sacram scripturam negare, et agnitam manifeste contemnere, sic sua dogmata sine scriptura et contra scripturam statuere: ut dubitare non possis, illum ipsa re unum illud ubique principium petere: ut contra omnes et omnia, omnibus in rebus uni credatur sibi.

10 Ne videri possit, haec tam absurda per calumniam  
 fingere de Luthero, Lutheri verba ipsa  
 commemorat, atque expendit: quibus  
 clarum est, Lutherum et dicere et  
 sentire multis adhuc modis  
 15 absurdus. Cap. XXI.

TAMEN quo minus dubites, istud non ex ambiguis eius verbis colligi, sed verbis ab ipso clarissimis praedicari. Verba ipsa nebulonis expende.

20 Certus sum, inquit, dogmata mea  
 habere me de caelo, qui etiam adversus  
 eum triumphavi, qui in ungue novissimo plus habet virtutis et astutiae,  
 quam omnes papae, et reges, et doctores.

Item paulo post.

Rapuit, inquit, me dominus imprudentem in medias has turbas.

25 Et rursus.

Neque enim hic mihi patientiae habenda ratio est, ubi mendaciis suis

scurra levis, non me nec vitam meam, sed doctrinam ipsam impetit,  
quam certissimus sum non meam esse, sed Christi.

310

5 ATQUE haec ubi tantum dicendo probavit, iam suo iure adversus  
regem nebulo debacchatur, tamquam pro fide corripere haereticum:  
hoc demum esset blasphemare deum.

10 Indulgendum esset ei, si humano modo  
erraret. Nunc quum prudens et sciens  
mendacia componat, adversus mei regis maiestatem in caelis, damnabilis  
putredo ista, et vermis: ius mihi erit pro meo rege, maiestatem  
anglicam luto et stercore conspergere: et coronam istam blasphemam  
in Christum pedibus conculcare.

15 AH, NE sevi tantopere bone pater: sed si satis debacchatus es: audi  
nunc iam leno. Meministi supra falso questum te: quod rex nullum in  
toto libro, saltem exempli causa, locum ostenderit: in quo te tibi  
dixerit esse contrarium. Hoc tu paulo ante mentitus es: quum rex  
multa loca tuae tibi repugnantiae demonstrarit.  
Hic regem puta vicissim abs te  
quaerere: cur ne unum saltem locum,  
20 exempli causa protuleris: in quo eum dicas blasphemare deum. Hic  
locus omnino quaerendus est, et paternitati vestrae proferendus.  
Interea vero, quam diu constabit reverendam paternitatem vestram,  
tam impudenter ista mentiri: licebit aliis pro maiestate anglica, lutum  
et stercus omne, quod vestra putredo damnabilis egressit, in vestrae  
paternitatis os stercoreum, et stercoreum omnium, vere sterquilinum  
25 regerere: et in coronam vestram, sacerdotalis coronae dignitate  
exauctoratam, in quam non minus ac regiam  
scurrari decrevistis, omnes cloacas et  
latrinas effundere. Dabis mihi candide lector, pro tua aequitate  
30 veniam: quod istius me nebulonis verba  
sordidissima coegerunt respondere talia:  
quibus honor praefandus esset. Nunc, vero  
verius illud verbum sentio: Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea.

Etenim me necessitatis etiam huius pudet: quod dum os hominis merdosum detergo: digitos mihi concacatos video. Verum, quis ferre potest, nebulonem talem: qui mille vitiis ostendat se possessum, atque agitatam a legione daemonum: et tamen ita se iactet stolide?

5 Sancti patres omnes erraverunt. Ecclesia tota saepius erravit. Doctrina mea non potest errare: quia certissimus sum, doctrinam meam non esse meam: sed Christi: videlicet alludens ad illa verba Christi: Verba mea non sunt mea:

10 sed eius, qui misit me patris. Quid istud? Papa cadet: dogmata mea stabunt: nonne certare videtur cum illo Christi: Caelum et terra transibit: unum iota non peribit de verbis meis? Nam quum ait, Rapuit me dominus imprudentem in

15 medias has turbas. hoc plus est, quam tulit illum diabolus: et statuit supra pinnaculum templi. Iam illud quam gloriosum est? Ego triumphavi adversus illum: qui in ungue novissimo plus habet virtutis et astutiae, quam omnes papae, et reges, et doctores. Quanto gloriosius triumphat iste, quam Christus: qui de se

20 dixit aliquanto modestius? Ego vici mundum. Et item illud. Venit princeps mundi huius: et in me non habet quicquam. Iste vero quid dicit? Ergo triumphavi non adversus mundum. sed magno intervallo sublimius, adversus principem

25 mundi diabolum. Deinde triumphum suum bucinat: et magnificis ornat ampullis. Triumphavi (inquit) adversus illum: qui in ungue novissimo plus habet virtutis et astutiae, quam omnes papae, et reges, et doctores. O gloriosum triumphum. Sed unde nobis compertum?

30 Quid hic nobis dicit: qui probat omnia scripturis manifestis? Quid aliud, quam illud Christi (nam cum illo certare conatur) Ego testimonium perhibeo de me ipso? Quod si quis respondeat: testimonium tuum non est verum: recurret ilico ad novam scripturam suam. Ego

35 certus sum, dogmata mea habere me de caelo. Atque ibi, sistet in hoc

suo principio, velut firmissimo fundamento: quod non omnes papae,  
 reges, doctores, homines, angeli, poterunt  
 evertere. Certus igitur, immo certissimus,  
 dogmata sua habere se de caelo: sicut certi  
 5 sunt et certissimi, qui dormiunt, omnia vera esse: quae somniant.  
 Immo vero certus, et certissimus mentiri se vigilantem, dogmata sua  
 esse de caelo: quae sua sibi murmurat conscientia, daemonum illi  
 praestigiis immissa: hominibus maledicit, et angelis: quicumque  
 dogmatis ipsius contradicunt. Et eos clamat os in caelum ponere,  
 10 conspurcare sacra, blasphemare deum: quicumque non verentur  
 arguere, spurcissimas ipsius blasphemias.  
 Tantummodo clamat, anathema sint omnes:  
 qui impetunt dogmata mea: quia  
 certus sum, dogmata mea habere me de caelo.  
 15 HOC igitur principio a reverendo patre petito, et a nemine concesso,  
 sic arguit ulterius reverendus frater, pater, potator Lutherus,  
 extra ordinem sancti Augustini fugitivus,  
 unus ex magistris inertibus vvittenbergensibus,  
 20 utriusque iuris bacchanalius informis, et in sacra theologia  
 doctor indoctus. Ego certus sum, dogmata  
 mea habere me de caelo: ergo dogmata  
 mea sunt caelestia. Et tunc ulterius sic. Dogmata mea sunt caelestia:  
 ergo quicumque contradicit dogmatis meis: os ponit in caelum: et  
 blasphemat deum. Quoniam quidem igitur contradicunt meis dogmatibus,  
 25 pontifex, imperator, reges, episcopi, sacerdotes, laici, et  
 omnes, in summa boni, mihi licebit pro dei mei maiestate, pontificem,  
 Caesarem, reges, episcopos, sacerdotes, laicos, omnes denique bonos,  
 anathematizare, maledictis et conviciis  
 incessere, atque in omnium coronas, et  
 30 capita, licebit, ex ore meo, lutum, cenum, stercora, merdas exspuere.  
 HAE sunt reverendi patris conclusiones, necessario deductae, ex  
 isto patris eiusdem principio, per eum petito: ut ipsi credatur, certum  
 esse se, sua dogmata esse de caelo. Verum age reverende pater: si ego

sic colligerem. Ego certus sum, reverendum fratrem patrem esse  
 asinum: ergo reverendus frater, pater est asinus. Hic si mihi concedat  
 reverendus pater, istud antecedens: quam multas conclusiones mihi  
 licebit inferre: nimirum comedendum ei faenum: gestandas sarcinas:  
 5 et, quod est gravissimum: carendum esse cervisia: quod aegre foret  
 pater potator auditurus. Verum potius  
 quam eo traheretur: non dubitaret exigere:  
 ut probem me certum esse, illum esse asinum: alioqui (ut est impudens)  
 haud concessurus illud: quod omnes tamen vident esse  
 10 manifestum. Verum ego protinus antecedens probare non dubitem:  
 hoc modo. Ego certus sum: quod sicut nullum animal ridet praeter  
 hominem: ita nullum animal rudit praeter asinum: sed ego certus  
 sum: quod reverendus frater, pater potator est aliquod animal: et  
 rudit rudissime: ergo ego certus sum: quod reverendus frater, pater,  
 15 potator est asinus verissime. Ecce reverende pater, ego probavi  
 meum antecedens: nec postulassem mihi concedi: nisi probavissem.  
 Probate, precor, et vos reverende pater, illud assumptum  
 vestrum: quomodo certa sit vestra paternitas, dogmata vestra vos  
 habere de caelo: quo deferente, recepistis  
 20 illa. Nemo enim ascendit in caelum: nisi  
 quia descendit de caelo. Sed hic (ut audio)  
 respondebitis, detulisse vobis dogmata vestra de caelo: non illum  
 quidem, qui descendit de caelo: sed illum qui tamquam fulgur cecidit  
 de caelo. Bene respondetis reverende frater. Verum non sufficio vobis  
 25 magister: sed vos relinquo, cum cacodaemone dogmatum inspiratore  
 vestrorum: cum quo manebitis in Tartaro per omnia secula seculorum.

NON SUM profecto mihi tam iniquus  
 fautor: quin tibi facile lector ignoscam: si  
 30 minus interdum probes hanc levitatem  
 meam: qua nonnumquam quaedam intersero: quae neque rei  
 gravitati, neque tuae severitati respondeant. Et tamen neminem esse  
 usquam puto, tam torvum: qui non aequum censeat, vel connivere  
 nobis interdum, vel ignoscere: quum ubique legat spurcissimam  
 35 petulantiam, stolidissimi nebulonis, in principem prudentissimum:  
 si nos ita commoveat indignatio: ut vel inviti, vicissim cogamur

ineptire: et (quod ait Solomon) respondere stulto secundum stultitiam eius. Praesertim quum eius liber, prorsus omisso negotio, totus in scurrilibus neniis otietur. Nos, licet obiter, in eius insaniam ludimus: tamen interim ita rem tractamus: ut tibi liquido constant omnia: 5  
 quaecumque ab initio promisimus. Nam cum generale responsum eius, in summa nihil complectatur aliud: quam nihil habendum esse pro certo: nisi quod comprehensum est, evidenti scriptura: cetera vero universa (etiamsi non adversantibus sacris litteris, perpetuo totius 10  
 ecclesiae consensu firmata sint) vel exstirpanda penitus, tamquam traditiones hominum (quod quidem censet optimum) vel ut minimum sic tolerari libere: ut cuique relinquatur integrum eorum, quodque probare, 15  
 improbare, mutare, damnare, abicere ubilibet, quando libet, quoties libet. Quum in hac parte collocet omnes leges humanas, patrum decreta, ecclesiae concilia, et sacramenta, purgatorii metum, sanctorum cultum, et cultum celebrandae missae: nos et scripturis clarissimis, et evidentissimis rationibus, effecimus perspicuum: esse 20  
 verbum dei absque scriptura traditum, idque non minoris auctoritatis esse: quam sit ipsa scriptura. Probavimus auctoritate scripturae, atque ipsius etiam confessione Lutheri, ecclesiam in discernendo dei verbo, in rebus fidei, prorsus errare non posse. Probavimus ecclesiam, quam ille vocat papisticam, esse veram ecclesiam Christi catholicam. Probavimus ea sacramenta, quae Lutherus appellat traditiones 25  
 hominum, non hominum traditiones esse, sed dei: atque ita illum, verbum dei negare non hominum. Probavimus illum, non stolide solum tollere leges omnes humanas, sed etiam oppugnare, et clanculum, et manifeste scripturas ipsas. E quibus luce clarius 30  
 ostendimus, illum quicquid e scripturis attulit, pro sua causa sic allegare stolide: ut nullus morio possit allegare stolidius. Et quum de cuiusquam scripturae sensu, neminem unum velit universis credere: sed unum quemque sibi, planum fecimus id illum struere: ut universae



scripturae robur enervet: et fructum omnem vertat in perniciem.  
Denique quum scripturam indubiam, non fateatur esse scripturam:  
sed habere neget quicquam scriptura dignum: et apostolum  
non dubitet apostata reprehendere: clarissimum fecimus illum non  
5 occulte modo, sed etiam palam, scripturas ipsas, pro quibus pugnare  
se fingit, evertere. Postremo, praeter eius improbissima mendacia, et  
stolidissimas repugnantias, et mille eius insanias, quas hinc inde  
patefecimus, etiam vitiosum illud disputandi genus, in petendo  
10 principio, quod perquam facete sibi visus est exprobrasse ceteris: id  
inquam ipsum probavimus illi unam, atque  
unicam disputandi formam esse. Sic  
igitur lector, plus quam tibi sumus polliciti, persolvimus: idque  
fecimus probationibus, non aliunde fere, quam ex regis libello  
desumptis. Et quoniam Lutheri nunc, ut vides, belle processit generale  
15 responsum: nos iam accingimur ad eiusdem specialia: e quibus  
nihil videbis: in quo non ridebis hominis singularem stultitiam.